UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Homilia XXXVI. De Secessv Christi in Galilæam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53104

Visual Library

# HOMILIA XXXVI.

## DE DECESSV CHRISTI IN GALILÆAM.

### Quinto die Martis Quadrageſimæ.

*Ambulabat Ieſus in Galilæam; non enim volebat in Iudæam ambulare &c.* Ioan. 7.

☞ 1. CHRISTVM Dominum noſtrum metu legimus inimicorũ ſuorum receſſiſſe, qui in eius iam necem conſpirabant; multum differt hic actus ab heſterno, in quo ſe fortem, adeo oſtendit inimicis, vt nedũ ſolo vocis ſuæ imperio miniſtros abegerit, & ſatellites, qui prædicantẽ in templo capturi conuolauerant, ſed & inſuper ipſos conuertit ſuoſque reddidit prædicatores, & diuinitatis ſuæ tubicines, remiſit ad ipſos principes, à quibus miſſi fuerant, cum expreſſa proteſtatione quam illis aſſerebat, ſecuritatis, ne fruſtra in procuranda eius morte laborarent: etenim illam non ſubiret quando ipſi vellent, ſed quando daret ipſe morti licentiam.

Hodie ſe ſubducit & abſcondit, & quaſi ſub vmbra tectorum progreditur, ſibi cauens: eo non ignoraret, quòd Iudæi illi ſtruerent inſidias, quod quibus eum caperent & occiderent. Tanta rerum mutatio, magna ſine dubio præfert Sacramenta. Ambulabat Saluator noſter (ſic diuinus ille ſcribit hiſtoriographus D. Ioan.) per diuerſa prouinciæ Galilææ loca, Iudæam deſerẽs: non ignorans pertinacem Iudæorum perſecutionem, qua perderent eum homicidæ: hac igitur de cauſa moratur in Galilæa, vbi; ciuitas erat Nazareth, in qua plures habebat, qui vel erant vel dicebant ſe eius eſſe cognatos: vel qui ſanctiſſimæ Matri eius affines erant, vel ſanctiſſimo Ioſeph, quem patrem eius arbitrabantur: vt autẽ viderũt Chriſtum velut neſcio quo timore perculſum, quodque iam feſtum immineret tabernaculorum vnum ex tribus ſolemniſſimis feſtis illius temporis, in quo cuncti tenebantur Iudæi aſcendere Hieroſolymam illud celebraturi: cum acceſſerunt, dixeruntque illi quid hic incerto vagaris lare? Quid hic in angulo lates talis, qualem ſimilem non inuenimus? Si mundi tibi quæris auctoritatem vt quid te fugitiuus abſcondis? Si ſignis præfulges adeo mirificis acclamante tibi mundo, aſcende Hieruſalem, quo totus iam conuolat mundus, feſti iam proximi occaſione, ibique in conſpectu omnium talia operare prodigia, & nomen famamq́ue tibi comparabis tota regione celeberrimam: & in noſtrum hoc nõ modicum cedet emolumentum & gloriam; vtique tibi qui ſumus affines: quid illis Chriſtus? tempus meum nondum aduenit: tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum: vos mundus non execratur: vnde non eſt quòd timeatis: ego verò quam maximè; meteteuim exhorreſcit eo quod claram manifeſtem illi veritatem, aſcendite vos ad diem feſtum hunc: ego autem non aſcendã; aſcenderunt illi, & confeſtim ipſe Dñs aſcendit non quidem palam, ſed abſconditè, ſed cautè ſed latenter, manſitque Hieroſolymis primis feſti diebus abſconditus: quarto autem die palam aſcendit in templum prædicaturus & prædicauit; vt nobis teſtatus eſt die Martis præterito Euangeliſta. Prædixit nobis Proph. reg. in illo pſalmo, quem inſcripſit Triumpho Chriſti, tales fore ducis illius inclytiſſimi greſſus, actiones, & itinera totque myſticis plena Sacramentis, vt electi eius ſuos in illa reflecterent oculos & ſtudio perpenderent ea ſingulari: quia Regis erant quia Dei erant, qui ſedem in templo ſancto ſuo ſibi vendicarat: *Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, Regis mei, qui eſt in ſancto.* Ps. 67. 25. Nomẽ hoc *Ingreſſus* ſignificationẽ habet militarẽ & actiones vel ſtrategemata ſignat ſtrenuiſſimi ducis, qui quandoq; hoſtem impetit & quandoque ſe ſubducit: omnia verò hæc ſingulari peragũtur prudentia.

O ſanctiſſime Chriſte dux inuicte, Rex &

Deus, qui ſedem tuam in templo hoc humanitatæ ſanctiſſimo collocaſti, non habitans in ea velut in ſola vmbra, ſicut in veteri templo; ſed realiter & in veritate ſubſtantialiter: vt credi-
Coloſ.2.9. mus Apoſtolo tuo dicenti: *In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Admirandi ſunt profecto tui, Domine, ingreſſus: etenim in quædam vt Deus & Rex potentiâ cunctis ſuperior impetum facis: in alijs autem velut homo debilis & infirmus, in hac moratus humanitate te ſuffuraris: & omnia quidem tantâ prudentia, tantâ ſapientia: vt non paruam nobis materiam contemplandi ſubminiſtres: atque in vno & in altero præclara nos doces Sacramenta, quæ addiſcamus: oculos igitur noſtros in illos dirigamus ingreſſus: heri ſpectauimus eum inimicis inſultantem, & proprijs illos armis, id eſt miniſtris ſuperantem: quos diuina docuit myſteria, heri conſiderata; hodie vero cernimus eum fugitiuum, alia non minoris momenti nobis prælegentem myſteria, ſed nunc exponenda: heri conſiderauimus iſta, hodie verò hæc inueſtigemus, Deum exorantes, vt gratiæ ſuæ luce nos dignetur illuminare; hanc autem obtinebit nobis cœleſtis illa mediatrix, ſi toto corde ſupplices illi preces offeramus. *Aue Maria.*

### §. 1. *D. Ioannes vt Angelus aſcendit & deſcendit per Chriſtum, in eo diuinam nunc exponens naturam, nunc autem humanam.*

☞ 1 GLorioſus Pontifex Leo, pari ſanctitate & eloquentia notiſſimus (ſic vt nomen obtinuerit, vt Cicero diceretur eſſe Chriſtianus) aggreſſus eſt profundum declarare myſterium Incarnationis filij Dei, circa quod argumentum epiſt. ſcripſit decretalem Flauiano Archiepiſcopo Conſtantinopolitano ex occaſione cuiuſdam hæretici nomine Eutychis, qui veteres ab orco reſuſcitans hæreſes Valentini & Marcionis, aliaſque Africanas docebat, Chriſto veram non infuiſſe humanitatem: ſupponit Pontifex hic Sanctiſſimus cæleſtis huius Sacramenti profunditatem non tam conſiſtere in illa vnione quam confitemur diuinæ naturæ cum humana, quam in eiuſdem modo, qui difficilis adeo eſt, & arduus intellectu, vt cœlorum Regina Virgo puriſſima Maria meritò ab Angelo percunctata fuerit: quando hæc vnio in caſtiſſimis eius eſſet implenda viſceribus: *Quomodo fiet iſtud?* Ange-
Luc.1.34. lus autem huius illi nodum aperuit difficultatis, illum Spiritui S. aſcribens, quaſi per hoc proteſtaretur, quod nec ipſe licet Angelus, qui nuntius aduenerat, tanti Myſterij poſſet comprehen-
dere celſitudinem: vt enim appoſitè dixit D. Ma- D.Max.
ximus apud D. Thom. *Latuit etiam ipſos Angelos* 3 p.q.30.
*inueſtigabilis Domini conceptio, atque modus.* ar.1.ad 3.

Intendebat hic hæreticus, quòd quamuis na- I.
tura diuina humanæ eſſet copulata, tamen hinc Eutyches
reſultare, quòd in Chriſto vera non manſerit na- Chriſti
tura humana, ſed conſumpta fuerit eius eſſentia, negat hu-
eiuſq; proprietates. Cõiunge ſtraminis manipulũ manitatẽ.
vehementi flammæ ignis, & res omnibus nota II.
eſt, quod quamuis dum vniuntur ignis ignis eſt, Similitu-
& ſtipula ſtipula: ſed quam primum illa fit vnio, do.
vis ignis paleæ conſumit infirmitatem, vt palea, iam non ſit vera palea. Si ſplendidus ſolis III.
radius vniatur, & apprehendat obſcuram ac Similitu-
tenebroſam vmbram, illi ſe copulat: ſed illico do.
tota hæc conſumitur obſcuritas, fitque lux amœniſſima. Hoc proferebat argumentum hære-
ticus: Deus ignis eſt efficaciſſimus: *Deus noſter* Deut.4.24.
*ignis conſumens eſt*, tantâque violentiâ vehemens, vt proxima quæque ſibi conſumat: eſt autem humana natura paleæ manipulus: hoc etenim præcepit Deus, vt ex altiſſimi montis vertice diuinus præco vates Iſaias intimaret:
*Omnis caro fœnum:* Dũ illi hæc igitur, aiebat Hæ- Iſai.40 6.
reticus, vnitur, virtus, robur, & diuinitatis maieſtas totam humanitatis conſumpſit infirmitatem: vt illi nec dolor, nec cruciatus, nec mortalitas, nec quidquam ex carnis infirmitate ſuperfuerit: verbum diuinum lucis paternæ gloriæ radius eſt
fulgentiſſimus: *Splendor gloriæ* docet Apoſtolus: Hebr.1.3.
humanitas autem opaca eſt & obſcura vmbra:
nã de maximè illuſtri viro dixit Iob: *Fugit velut* Iob 14.2.
*vmbra.* Illa duo coniunge, & euidenter patebit (ſic hæreticus) nullam remanſuram vmbrã, nec humanitatis obſcuritatem: hoc eſt, non mortalitatem, non famem, non ſitim, non timorem, non anguſtias, nec vllam humanæ infirmitatis imperfectionem. Itaque ſicut dum radius pleno lumine virum illuſtrat, ignis vehementia ſic operatur vt totam conſumat carnem, oſſa, & ſanguinem, & tantum nuda manet hominis apparentia, qui namque illum videt, verum videtur ſibi videre hominem, licet verus non ſit: eo modo (concludebat hæreticus) Verbum æternum, vt ra-
dius efficaciſſimus ſic apprehendit humanitatem IV.
vt totam illam conſumpſerit, ſola remanente D. Leo
tantummodo eius figura, & veri ſimilitudine. hãc refu-
Hoc hæreſim redolet (inquit Leo Pontifex) tat hære-
apertiſſimam: vt autem errorem hunc condem- ſim.
naret, ſcripſit Pontifex hic epiſtolam, vt dixi- Vide Baro.
mus, Flauiano Archiepiſc. Conſtantin. quam ſcri- To. 6.p.80
ptam 81.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ptam corpori ſuperpoſuit Principis Apoſtolorum D. Petri, atque per quadraginta dies ieiunus perſeuerans, orationi vacans Apoſtolum deprecatur vt ſi quid in ea eſſet minus prudenter ſcriptum corrigere dignaretur: finito quadrageſimali tempore, apparuit illi Diuus Petrus aitque illi: *Legi & emendaui*. Inuenit autem epiſtolam ſuam correctam, & emendatam, tantamque habuit auctoritatem, vt recepta fuerit in concilio Romano œcumenico ſexcentorum & triginta epiſcoporum; & Pontifex Gelaſius anathemati ſubiecit omnes & ſingulos, qui hanc epiſtolam perfectè vſque ad vltimum iota recipere detrectarent: hanc veritatem, Flauiane, docere tibi incumbit, quòd nimirum hæc vnio diuinitatis & humanitatis facta eſt manente in totum & per totum vtraque natura, cum ſuis qualibet

D. Leo Serm. 1. de Natiu. proprietatibus: *Salua proprietate vtriuſque ſubſtantiæ, ſuſcipitur à maieſtate humilitas: à virtute infirmitas: ab immortalitate mortalitas & tanto fœdere vtramque naturam conſeruit: vt nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem imminueret aſſumptio*, nec diuinitas conſumeret humanitatem, nec gloria pœnas, nec immortalitas mortalitatem, nec carnis infirmitatem diuina fortitudo.

V. Miraculum rubi Chriſti figura Incarnationis.

Viſio oſtenſa Moyſi, quando Rubum ignis accendit, non adeo fuit obſtupenda, in eo quod ignis vniretur rubo: hoc etenim ſatis eſt familiare: ſed ratione modi, qui talis fuit: vt cum ignis ſit efficaciſſimus, & rubus viredine ſpiniſque obſitus, non tamen rubi virorem aut frigiditatem vel in minimo læſit ignis efficacia, nec ſpinam conſumpſit vllam, econtra nec viror rubi vel frigiditas in modico tepefecit ignis ardorem, & actiuitatem: vnde quod ait Moyſes, illud

Exod. 3. 3. erat: *Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus* q. d. huius vnionis miraculum conſiſtit in modo, *Quomodo rubus ardeat &c.* Deus ignis conſumens eſt: humanitas autem rubus ſpinis obſitus, paſſionibus, afflictibus, cruciatibus, & miſerijs: *Repletur multis miſerijs*: Famem patitur, ſitim, & labores: fatigatur, timet, anguſtiatur, & ſubditur mortalitati &c. coniunctus eſt & vnitus ignis rubo: quando *Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis*: huius viſionis excellentia in hoc conſiſtit (illaque eſt quã fidelis quiſque & Catholicus confiteri debet: quòd ignis manſerit, nullam paſſus virtutis ſuæ diminutionem: & rubus pariter verus rubus ne minimum quidem de ſua viredine deperdens: explico me: Deus verus Deus ſuis diuinis perfectus proprietatibus gloriæ, omnipotentiæ, immortalitatis, diuitiarum, maieſtatis &c. ipſa verò humanitas vera humanitas & humanis ſuis integra proprietatibus famis, ſitis, mortalitatis, timoris, anguſtiarum, dolorum &c.

Appoſitè ponderat D. Auguſt. myſticam illam ſcalam Iacob quæ ex vna parte in tantam erigebatur celſitudinem, vt ad cœli vertices aſcenderet, ex altera verò ad infima terræ deprimeretur per hanc aſcendebant & deſcendebant Angeli, Tantam admiratur Patriarcha viſionem, & declaraturus quidnam hoc eſſet, ſic ait: *Verè non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli*. Planum eſt (inquit D. Auguſtin.) ſcalam hanc noſtrum præfiguraſſe Redemptorem: ipſe namque ſibi nomen hoc impoſuit, quo ſe cæli portã nominauit: *Ego ſum oſtium &c. nemo venit ad Patrem niſi per me*. Myſterioſa ſcala, quæ ex parte vna ſidera pertingit: cum verus ſit Deus veramque habeat diuinitatem, per quam in omnibus & per omnia æqualis eſt Patri: ex altera verò ad infima terræ deprimitur, cum verus ſit homo, nobiſque ſit ſimilis: vt dicat Apoſtolus: *Debuit per omnia fratribus aſſimilari*: & hæc eſt fidei noſtræ Catholica profeſſio: *Deus eſt ex ſubſtantia Patris, ante ſecula genitus & homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſeculo natus*.

3 Lib. 16. de ciu. c. 38. To. 5. & 22. contra Fauſtum c. 38 & ſer. 79. de tempore. VI. Scala Iacob eiuſdem eſt typus. Gen. 28. 17. Ioan. 10. 9 Ioan. 14. 6 Hebr. 2. 17

Per hanc ſcalam aſcendunt & deſcendunt Angeli: hoc etenim ſanctorum eſt exercitium, aliquando in Chriſto diuinitatis illius conſiderare celſitudinem, maieſtatem, gloriam, diuitias, omnipotentiam: aliquando vero inferiora perpendere humanitatis infirmitatem, paupertatem, dolores, mortem & ſepulturam. Iam illum contemplantur magnum Deum in ſinu Patris, cœlos regentem: iam hominem matris inter brachia, & virginali ſuſpenſum de pectore vilique præſepio reclinatum, frigore inter animalia tremulum: nunc aſcendunt (in cœlo fontem perennis conſiderantes gloriæ, de quo & per quem illum Angeli conſequuntur, iam deſcendunt oculos illius conſiderantes fontes lacrymarum, pro peccatis noſtris vberrimos, nunc contemplantur illum in ſede maieſtatis ſuæ veſtibus illis lucis & ineffabilis pulchritudinis fulgentem ſpecioſiſſimis. Sic cecinit vates Regius: *Indutus lumine ſicut veſtimento: decorem indutus eſt*. Nunc illum perpendunt hic deorſum in aere nudum in Cruce pendulum, cuius corpus vulnerum ſit pœnarumque receptaculum.

VII. Quid ſit ille, deſcenſus & aſcenſus. Pſ. 103. Pſ. 92. 1.

Quinimo & hoc arbitror exercitiũ nos docuiſſe ipſum Saluatorem, dum ait: *Amen amen dico vobis videbitis cœlum apertum & Angelos aſcendentes*. Ioan. 1. 51.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*dentes & deſcendentes ſupra Filium Hominis.* Ver-
*Lib.16.de* ba ſunt hæc quæ D. Aug. multa doctrina & ſub-
*ciu.c.38.* tilitate proſequitur. In veritate dico vobis vide-
*& lib. 12.* bitis cœlum apertum &c. Mouent hic quæſtio-
*contra* nem Sancti Doctores, quomodo, & quo tempore
*Fauſt.c.26* hoc impletum ſit: quando quis viderit Angelos
*To.5.& 6* aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium Ho-
VIII. minis D. Chryſoſt. opinatur quod in reſurrectio-
Quando ne & aſcenſione Domini patenter apparuerint
fuerit Angeli diuina hæc mulieribus aperientes my-
hoc im- ſteria reſurrectionis, & ipſis Apoſtolis aſcenſio-
pletum. nis in cœlum, D. Cyrillus credit quòd Chri-
*Ho.20.in* ſtus declarare voluerit illam continuationem,
*Ioan.* qua poſt aduentum eius in mundum deſcen-
*Lib.2. in* dunt deſurſum Angeli cum donis cœleſtibus, &
*Ioan.c.21.* ſurſum aſcendunt orationes noſtras, ſacrificia,
votaque deferentes. Et illud ſimiliter quòd per-
petuò & indeſinenter poſtmodum huc de cœlo
deſcendentes nobiſcum conuerſantur illuminan-
do nos, inſpirando, defendendo, protegendo,
ſuccurrendo, quibus omnibus Dominus promiſ-
ſum implet per vatem Zachariam ſancitum
quod veniens in mundum noſtro non modico
*Zach.9.8.* beneficio eſſet operaturus: *Circumdabo do-
mum meam ex his qui militant mihi, euntes & re-
uertentes*, quinimo hoc ipſum in miſſa profite-
mur, dum ſic oramus: *Iube hæc perferri per ma-
nus S. Angeli tui conſpectu diuinæ Maieſtatis tuæ
&c.* Donum hoc nobis ineffabile ex filij Dei pro-
fluxit incarnatione aduentuque in mundum,
quodque nobiſcum habitauerit volueritque in-
ter nos; & nobiſcum in venerabili Sacramento
permanere: quod ſi Dominus ſic hoc ita fieri in-
dicauerit expedire, iam non eſt, quòd Angeli
noſtram dedignentur conuerſationem: nec eſt
quòd eos remoretur, quin nobiſcum velut cum
fratribus amicè conuerſentur, pro vt eorum
quidam Diui Ioanni confirmauit Euangeliſtæ,
hoc credo ſignificari per hæc verba: *Supra fi-
lium hominis*, id eſt, *propter filium hominis*: ete-
nim frequens eſt in ſacris litteris poni aduer-
bium *Super* pro *propter*: Sic Diu. Hieronym. no-
*Hier.8.21* tat crebro ſic locutum fuiſſe Hieremiam: *Su-
per contritione (propter contritionem) populi mei
Mich.1.8.* *contritus eſt*, Similiter Michæas loquitur: *Super
hoc* (id eſt *propter hoc*) *plangam & vlulabo, faciam
planctum &c.* Dicit igitur, propter ipſum tantum
nobis obuenit bonum, vt iam nunc Angeli de-
ſurſum ad terram deſcendant, & ſurſum in cœ-
lum aſcendant facti nobis amici & intimi familiares.
Hæc omnia Chriſtus inſinuauit.

Verùm etiam expoſuit, quòd veniens in mũ-
dum cœlum aperiret: hoc eſt nobis cœleſtia pa-
terent myſteria, quæ priùs latebant & erant
abſcondita: *Videbitis cœlum apertum.* Cumque fa-
ctus eſſet Redemptor noſter ſcala quædam cœ-
leſtis ad cœlorum pertingens ſublimia: quia ve-
rus Deus, & ad humiliora terræ deſcendens:
quia verus homo: perpetuum hoc eſt SS. exer- IX.
citium, qui vita & ſpiritu imitantur Angelos, Quid ſit
aſcendere & deſcendere: nunc illum conſideran- aſcendere
do Deum omnipotentem, æternum glorioſum, & deſcẽ-
ſuprema fulgidum maieſtate: modò vt hominem dere.
infirmum doloribus, morte pœniſque circumda-
tum, & in noſtra humilitate ac miſeria abiectiſſi-
mum.

Hoc ſuppoſito declarat Doctor Angelic. le- *In c.3.ep.*
gitimam verborum interpretationem, quæ *ad Epheſ.*
Chriſtus eodem modo de ſeipſo protulit: *Ego lect.5.in*
*ſum oſtium per me ſi quis introierit ſaluabitur: & princ. &*
*ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet*: qua *in c.10.*
ratione ſum ego porta cœli, vt ſi quis per me *Ioann.*
introierit ſaluetur, & ingrediatur & egrediatur, *Ioan.10.9*
& paſcua inueniat. Domine, qui per te introie-
rit, quid neceſſe eſt vt egrediatur? ſi ſolus ſalue-
tur ingrediens: *Si quis per me introierit ſaluabi-
tur*, an qui fuerit egreſſus condemnabitur? gran-
de myſterium. Chriſtus oſtium eſt ad Patrem
bonaque cœleſtia: *Ego ſum oſtium, & nemo venit
ad Patrem, niſi per me*: qui per viuam fidem in-
greſſus fuerit hoc oſtium, ſaluabitur: & in ea
perſeuerans, hæc ſibi ſumet exercitia: vt ingre-
diatur, & egrediatur, & in vtroque paſcua diuina
reperet.

Qui ſunt hi ingreſſus & egreſſus? ingredietur
diuinitatis meæ ponderando myſteria, & egre- X.
dietur humanitatis meæ conſiderando humilita- Qui ſunt
tem & in vtroque diuinis anima paſcuis ſatura- ingreſſus
bitur: *Ingredietur.* (ſic D. Tho.) *In contemplatione* hi & e-
*diuinitatis, & egredietur in contemplatione huma-* greſſus.
*nitatis.* Ex his doctrinam hanc colligit cœleſtem D. Tho.
Theologiæ quod obiectum fidei noſtræ princi- *2.2.qu.1.*
pa e duo ſint, myſteria nimirum diuinitatis filij *art.7.*
Dei, & humanitatis Chriſti Redemptoris. Hanc
fidem inquit D. Aug. ſtabilire voluit Dominus
noſter: *Semper hoc egit dictis & factis ſuis vt Deus Tract.28.*
*credatur, & homo.* Et congruè quidem, ait D. *in Ioan.*
Leo ſerm. de Transf. *Etenim vnum ſine altero Tom.9.*
*non proderat ad ſalutem & vtrumque erat pari-* D. Leo.
*ter confitendum: quia ſicut Deo vera humanitas:* *Serm. de*
*ita homini inerat vera diuinitas.* *Transfig.*

D. Ioann. (ait D. Petrus Damian.) velut cœle- XI.
ſtis quidam Angelus per hanc ſcalam nunc aſ- D. Ioan-
cendit, nunc deſcendit; aſcendit nec moratur, do- nes qua-
nec ad thronum Sanctiſſimæ perueniat Trinita- liter aſ-
tis, & filium conſideret cum Patre diuiniſque cendat
per- & deſcẽ-

dat ſuper Chriſtum

Serɜ. de S. Ioan. Eu. Tom. 1.

Ro. 4. 17.

perfectum proprietatib⸗s: *In principio erat verbum & verbum erat apud Deum*, Deinde deſcendit in terram illum hominem ſignans, humanis præditum proprietatibus: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Die Veneris tanta monſtrauit illum diuina fortem potentia: *Vt vocet ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*: Lazarum de monumento reuocans, qui cum aures non haberet, iam enim in ſepulchro computruerat illum tamen audiuit, & viuus ac ſanus de ſepulchro progreditur; & ibidem oſtendit illum ſic in humanis infirmum, vt ploret, ingemiſcat, & doloris prodat argumenta, ſicut tunc diximus. Die Sabbati illum perpendit, vt diuinum ſolem, & lucem æternam, principium & fontem luminũ, dicentemque: *Ego ſum lux mundi.* Die Dominico hominem proponit Phariſæorum inſidias declinantem, ne ab eis lapidaretur: *Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.* Heri aſcendit, illum repræſentans vt Deum, ſic humani cordis Dominum, vt de illo quodlibet faciat & pro libero voluntatis ſuæ transferat illud mutetque beneplacito: nec non tantus oſtenditur mortis Dominus, vt ipſe ſit qui horam eius diſponat, & momentum; hodie deſcendit, indicans illum, ſic hominem, vt timeat, cautè ſe gerat; fugiat, ſibi proſpiciat, nec audeat in Iudæa demorari: *Quia quærebant eum Iudæi interficere.* His nos mater Eccleſia diſponit, quatenus intelligamus quid ſentire debeamus de Chriſti morte eiuſque tormentis; Nec tibi animum induxeris, quòd quia Deus erat, ſummaque gloria, dolores non ſentiret, & quia cœli erat fortitudo, carnis non pateretur infirmitatem: quia ſpinæ in rubo manebãt integræ, vt nec in minimo conſumeret illas ignis: ſed nec vllus fuit homo, qui grauius verbera, cruciatus, & vulnera ſentiret, ſicut nullus fuit, qui corpus habuit melius formatum, & ſicut diximus, ad verbera ſenſibilius.

## §. 2. Ambulabat Ieſus in Galilæam: *Aſſumpſit Dei filius naturam humanam cum timore, & pœnis illius quia ſic gloriæ ſuæ; & honori noſtro conueniebat.*

☞ 1. Hæretici docuerũt Chriſtum non verã ſenſiſſe pœnam.

INcipit Sancta Mater Eccleſia Domini celebrare paſſionem, vt Dominica præterita diximus, ad hoc, vult vt intelligamus, hanc veram fuiſſe & non tantum apparentem. Plures legimus in exordio Eccleſiæ fuiſſe hæreticos, docentes: quòd Chriſtus nullam pœnam verè pertulerit, nec timorem, dolorem, triſtitiam, mortemque tolerauerit. Primò: Iudicabant illud impoſſibile: eo quod veram haberet in ſe diuinitatem, cui repugnat pœnam aliquam tolerare: quia in ſe totam includit gloriæ plenitudinem. Dixit Chriſtus Samaritanæ: quod aquam haberet, ex qua ſi quis biberet, non ſitiret in æternum: haberet etenim in pectore ſuo fontem perenniter profluentem: & eum qui hoc in ſe potiretur pati ſitim foret impoſſibile, quo ſignificare voluit quod habens in ſe gloriæ fontem, qui cunctis alijs eximit pœnas, in ſe illas ipſe perpeti non poſſet. Ratio 1.

Secundò: cenſebant indecentiſſimum fore Deo noſtræ carnis ſubiacere miſerijs, quas peccatum intulerat: quinimo & inter nos indecorum videtur viro nobiliori pati famem, ſitire, triſtari, plorare, fugere, comprehendi, flagellari, mori, ſuſpendi: quanto magis debet hoc Deo cenſeri ignominioſum? qua ratione de eo credendum eſt; quod timeat, fugiat, & quærat latibula ſi plenaria vt confitemur poteſtate gaudeat vt verus Deus? inſuper & hoc maximè commune fuit Iudæorum & gentilium contra Chriſtianos argumentum: quo explodunt illos: quia hominem vt Deum adorabant de quo fatebantur ipſi, quòd timore mortis ad latebras confugerit, quòd captus fuerit, flagellis cæſus, ad mortem Crucis damnatus: cui illum inimici affixerunt: hoc erat Iudæorum ſcandalum, hæc erat ſtultitia gentilium obijcere, quòd Chriſtus, qui tales patiebatur cruciatus Deus eſſet. Ratio 2.

II. Quid huic rationi reſponderint.

Argumentum hoc ita prægnans aliquibus in primitiua Eccleſia eſſe videbatur: vt pro illius ſolutione reſponderint: Chriſtus in realitate veritatis nullam paſſus eſt pœnam: ſed nec habuit, niſi in apparentia tantum exteriori: vt autem hoc declararent, dixerunt: veram noſtram non aſſumpſit carnem, nec ea talis erat, quam demonſtrabat, ſed apparens & phantaſtica, qualis ea eſt, in qua Angeli apparent: non enim eſt vera, ſed ex aëre compoſita: & quamuis comedere viderentur, ſicut Angelus Raphael, hoc tantum in apparentia fiebat exteriori, Hanc Doctrinam, vel meliùs dixero, errorem hunc commentus eſt hæreticus penè contemporaneus Apoſtolis vocabulo Marcio: hunc ſubſecutus eſt alius quidam Appelles, docens: Chriſti corpus ex vera carne non eſſe formatum, ſed ex parte quadam cœli: quocirca in veritate eſſet impaſſibilis, & tantum paſſus appareret.

Has opiniones refert antiquus Tertull. ea

III. Chriſto conueniens fuit veram aſſumere carnem.

etenim intentione librum compoſuit: *De Carne Chriſti*, in quo ipſe, & Doctores SS. in ſuis operibus, quæ conſcripſerunt, probant doctrinam hanc eſſe adeo execrabilem, vt totam euertat fidem Catholicam; vnde cuncti conantur ex animo probare in particulari carnem, quâ indutum erat verbum, vt noſtram fuiſſe veram, & nedum Chriſto fuiſſe indecens cunctos in illa perferre dolores pœnaſque illi proprias, ſed ex ratione decens & valde conueniens. Comprehendit D. Thomas horum omnium doctrinam, & incommuni confirmat, qualiter illud fuerit Redemptioni noſtræ conuenientiſſimum: & non ſolum non indecorum Deo, ſed eius potiùs honori & gloriæ noſtroque pro ectui congruentiſſimum.

IV. Lapſus humani generis fuit Deo iniurioſus.

Humani generis naufragium in non modicam ceſſerat diuini nominis iniuriam, & ipſius hominis dedecus ineffabile. Primò: vergebat hoc in Dei contemptum: etenim diabolus noſtram euertens naturam, hoc prætendebat: vt Dei conſilium dirueret & propoſitum.

V. Cur Deus hominem creauerit.

Creauit Deus hominem vt eſſet velut ſuum regnum, in quo & per quem honoraretur, & adoraretur, hoc illi diabolus eripuit, noſtram ſibi tyrannicè naturam ſubijciens, & efficiens vt ipſe in mundo tanquam verus Deus coleretur, & adoraretur: tantum vt princeps diceretur mundi, per quem, vt Dominus abſolutus, ambulabat, ſic vt Deo non veritus ſit exprobrare: *Circuiui terram, & perambulaui eam*, velut Rex in ſuo regno pompaticè incedens, & quaſi gloriatus quòd hoc Deo regnum eripuiſſet. Pariter fecit Deus hominem, vt vacuas illas palatij cœleſtis ſedes impleret, ex quibus diabolus cum aſſeclis ſuis fuerat exturbatus; nec rationi conſonum erat: vt illæ vacuæ remanerent.

Iob 1. 7.

VI. Conſiliũ diaboli.

Conatur Satan hoc Dei propoſitum inuertere, noſtram peccato commaculans naturam: nouerat enim verſipellis hic quod naturam noſtram peccato ſordidam in illas Deus ſedes minimè reciperet, quia in illam ſupernã ciuitatem nihil intrat inquinatum: & ipſum Deus ob vnum ſuperbiæ peccatum, inde expulerat, & in tartari profundum deiecerat, reuelauit illi Deus cunctiſque Angelis, dum illos creauit, quod naturam aſſumpturus eſſet humanam: licet non eius rationem: vt alias diximus: diabolus rabidâ furens inuidiâ tantum à Deo non ferens homini conferendum beneficium, ſibi in naturâ inferiori, voluit & hoc Dei decretum immutare: nam non ignorans quantum Deus diligat munditiem, quodque veſtem non eſſet induturus peccato maculatam, ſtuduit totam hanc fœdare naturam, conatus illam nedum reddere indecoram, quâ Deus veſtiretur, ſed inſuper oculis eius abominabilem, & execrandam: hoc egit, quod nominatiſſimus ille Turcarum Imperator Amurathes: obtinebant Græci ciuitatem Nouiogradum inter cæteras illis maximè gratam & recreationis obiectum: illos eo deducere voluit, vt hanc deſererent, & execrarentur; quid agit? fontem habebat lympidiſſimum; nouerat autem quod Græci pertinaciter & inuiolabiliter hanc tuerentur ſuperſtitionem, ne aquam biberent, in aquam cecidiſſet, vel inuentum fuiſſet animal mortuum. Canem appendit, illumque coram eis fonti immecit: quo factum eſt vt ciuitatem illam haberent abominationi, itaque deſererent; eam igitur ipſe occupauit ſuoque ſubiecit imperio. Hæc mens erat diaboli (ſi Diuo Bernardo credimus) canem mortuum peccati fonti inijcientis humanæ naturæ, Deum obligare, vt nedum ex hac non biberet aqua, eam ne ſibi incorporaret, ſed inſuper illam abominaretur & in omnia ſæcula deſereret. Itaque quaſi gloriabatur diabolus, agebatque triumphum ſibi perſuadens quòd cuncta Dei conſilia, & decreta funditus euertiſſet.

VII. Naturam humanam commaculat.

VIII. Stratagema Amurathis.

Vide Pined To 4. Mõ Eccl. 24 c. 6. 32

Secundò: fuit hoc opus homini maximè iniurioſum & probroſum: etenim ille fuit, qui Satanæ fraudibus & mendacijs irretitus miſerabiliter eſt ab eo ſuperatus, hic erat, qui de præclara ſua lapſus erat dignitate, in qua Deus illum creauerat, creaturis omnibus in hoc mundo viſibili ante ſuperior, & iam ad viliſſimorum & turpiſſimorum animalium deiectus abiectionem: *Homo cum in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis*: qui priùs templum erat Dei, & diuinæ domicilium habitationis, frater Angelorum, terreni poſſeſſor paradiſi, & cœleſtis heres, ſuam cõdecorit naturam, vt ſtabulum eſſet beſtiarum, affectuum beſtialium, appetituum irrationabilium Satanæ ſubditus, mortis reus parum eſt temporalis, ſed ſempiternæ, vnde cum iam homo peccaſſet, Deuſque adeſſet, vt eum pro culpa corriperet inobedientiæ aderat illi pertinax ſerpens: quaſi de Deo & de homine triumphum manifeſtans.

6.

IX. Fuit etiã homini probroſus.

Pſ. 48. 13.

Cum igitur iactura hæc & damnum in Dei, hominiſque vergeret iniuriam, & ignominiam: oportebat vt ambo ſibi de remedio conſulerent. Poterat quidem Deus venire ſolus, illudque ſola ſua omnipotenti manu operari: ſed congruum non erat medium: nec honori ſuo, nec hominis decori conſultum; non honori ſuo: quandoquidem

X. Ambo cõcurrunt ad hominis reparationẽ.

doquidem modicum Deus referret inde, ſi diabolum pari marte debellaret: (a) etenim notiſſimæ ſunt infinitæ Dei vires diabolicis longè ſuperiores: & exiguus inde Deo honor proflueret, ſi pulicem vel muſcam contereret, & crabronem extremo digiti ſui comprimeret; quòd muſca tibi aduerſaria te ſupplantet, te pulex proſternat, te crabro deijciat, certè permagnum eſt, idcirco ſuos ſupplantaturus inimicos, non contra illos egreſſus eſt propria potens eſſentia, ſed muſcis & crabronibus Pharaoni totique eius regno bellum intulit, iiſque ſuos oppreſſit aduerſarios. Per manum mulieris caput abſtulit Holofernis, totumque diſſipauit exercitum Aſſyriorum. Diuino expediens erat honori omnium maximè infirmum aſſumere medium, quo diabolum ſupplantaret, & hæc noſtra fuit natura humana.

*(a) Cuerpo à cuerpo.*

XI. Similitudo.

XII. Similitudo.

Deinde vile ſibi conquireret Deus nomen, ſi illo non interueniente manu aliena genus humanum repararetur, ſicut & Duci indecorum eſt, qui propugnaculum perdidit, quòd alius illo fortior idem recuperet, & illi reddat iam recuperatum. Hoc eius honori adſcriberetur, ſi qui illud perdidit, illi conaretur bellum inferre qui hoc ſibi eripuit, illumque vinceret atque ex illo ſummo cum dedecore eliminaret.

XIII. Cur per Angelos nō ſumus redempti

Hanc rationem aſſignant SS. Patres cur Deus hominem noluerit per Angelos redimere: etenim facile fuiſſet vel eorum minimo, totum proſternere Ditis exercitum volvit enim myſterium hoc ad hominis peragi gloriam, ſic vt ille, cui victus fuerat, vinceret: & qui à dæmone captus fuerat, in eum denuo reſurgeret, illum ligaret, illum captiuaret. Ea mente decreuit vt viirentur parique greſſu procederent Deus & homo: cum enim iniuriam ambo & dedecus retuliſſent, vt offenſam hanc ambo repararent. Offendit Deum diabolus per medium infirmitatis humanæ: hanc Deus aſſumit infirmitatem, qua vinceret dæmonem & honorem ſuum redintegraret, & ambo pariter contra ipſum prodeunt in arenam.

XIV. Similitudo.

Valde frequens eſt ad lucrum copioſiùs à mercatoribus iniri ſocietatem, in qua quique ſuas exponunt opes, & ambo ſimul adlaborant hic aurum ſuum, argentum, & nummos exponit alter veſtes ſuas, facultates, & actiones, ex quibus communis reſultat quidam cumulus quo negotiantur. Lucrum adeo grande comparandum eſt, quod infinitis captiuis redimendis & regnis conquirendis cœleſtibus ſit ſufficiens; eo fine ſocietatem ineunt Deus & homo, & ſuas quiſque exponit facultates.

XV. Quæ ſunt Dei bona, & hominis.

Quid habet Deus? diuinitatem, gloriam, ſapientiam, fortitudinem, omnipotentiam: omne bonum. Quid habet homo? humanitatem, infirmitatem, paupertatem, mortalitatem, cruciatus; fiat ex his duabus facultatibus quædam vnio, & ponatur velut in arca vel cumulo diuini ſuppoſiti in quo ſimul vniatur quidquid boni Deus in ſua poſſidet natura: & quidquid miſeriarum, atque infirmitatum in ſua homo poſſidet.

XVI. Quæ ſunt naturæ humanæ propria.

XVII. Chriſtus nō aſſumpſit peccatum nec morbos.

Dixi in ſua: vt intelligantur defectus noſtri, quos Dei filius aſſumpſit, & eleganter expoſuit, D. Thomas & anterior illo declarauerat D. Damaſc. Omnes illos aſſumpſit, qui humanæ ſunt proprijs naturæ, velut eiuſdem proprietates: proinde peccatum non aſſumpſit: hoc etenim ex ipſa natura in ſe non procedit, ſed ex eo quod peruerſa voluntas à dæmone concitata, illud voluerit committere: *Hoc enim* (audio D. Damaſcen.) *non naturale eſt, nec ab opifice nobis inditum, ſed ex diabolo reſperſum, in noſtra libera poteſtatis electione, ſpontaneè conſtitutum, non violentea nobis dominans.* Nec ſimiliter infirmitates aſſumpſit (ex doctrina Doctor Angelici) quas homo patitur, febrium, puſtulatum, podagræ, calculi, colicæ, lepræ: illæ etenim naturam non conſequuntur humanam nec illi ſunt in ſe propriæ: ſed tantum ſecundum quod in hoc vel in illo defectus eſt, vt in virtute formatiua, quando homo concipitur, vel in calore naturali, vel in humorum repugnantia, vel propter exceſſus in comedendo, in bibendo, vel ex defectu ſcientiæ regiminis. Nullum eorum aſſumpſit defectuum: quia nec in eius potuit defectus eſſe conceptione: quandoquidem operante Spiritu Sancti conceptus fuerit; nec in eius humoribus inordinatio, velut eiuſdem opera compoſitis: nec exceſſus in eſu vel potu quia in illis omnibus eadem ſemper fuit ſeruata moderatio. Omnes illos aſſumpſit defectus, qui naturam ipſam in ſe conſequuntur: aſſumpſit ſitim, famem, fatigationem, pœnas, dolores, timorem, triſtitiam, mortalitatem, & ipſam mortem: quas omnes paſſiones vt notat D. Thom. D. Damaſc. vocat naturales & indetractabiles paſſiones: *Naturales: quia conſequuntur communiter totam naturam humanam: indetractabiles autem: quia defectum ſcientiæ & gratiæ non important. Naturales autem & innocuæ paſſiones eæ ſunt* (Sic D. Damaſcen.) *quæ non in noſtra poteſtate ſitæ ſunt, quæcunque ex condemnatione ob tranſgreſſionem in humanam ingreſſæ ſunt vitam: vt ſunt fames, ſitis, pœna, labor, lacryma, gutta ſanguinis, & ob*

3 *p. q.* 14. *a.* 4.

D. Damaſ. L. 1. orthod. *fides c.* 14. *in fin. &* *L.* 3. *c.* 20.

D. Damaſ. *Loc. cit.*

L. 3. *c.* 20.

*natura infirmitatem ab Angelis confortatio ; & eiuſmodi &c.* Itaque contulit Deus naturam ſuam diuinam, & quidquid eam conſequebatur: contulit & homo naturam ſuam humanam, & quidquid eam conſequebatur, hoc eſt quod D. Ambroſ. ait: *Poculum quod ex virtute diuina & humana infirmitate factum eſt.* Perpende Chriſtum (inquit D. Ambroſ.) ea quæ ipſius ſunt inuenies, & tua: tua eſt humana natura: eius eſt eam eſſe formatam obumbrante Spiritu S. virginem: tuum eſt, quòd naſcitur plorans, ipſius eſt, quòd de virgine matre naſcitur: tuum eſt, quòd reclinetur in præſepio, eius eſt quod gloriam illius canten Angeli: tuum eſt, quòd terram calcet, ipſius eſt, quòd per mare velut ſolum latericium obambularet: tuum eſt quòd famem ſentiat, eius eſt, quòd quinque millia ſatiet in deſerto fameſcentium: tuum eſt, quòd moriatur inter latrones medius, ipſius eſt, quòd inter perſonas viuat diuinas: illum conſidera in deſerto beſtijs conuiuentem: *Et erat cum beſtijs*: ait Euang. & quòd eò conuolent Angeli illi ſeruituri: *Acceſſerunt Angeli & miniſtrabant ei*: *tuum eſt* (inquit S. Doctor.) *quod beſtias patitur, ſuum eſt quod ab Angelis prædicatur.* Ex his argumentum formant SS. Patres, quo confundant ineptam illorum hæreticorum amentiam, & eorum omnium, qui dixerunt quòd Dei filius veram non aſſumpſerit carnem humanam, paſſibilem, mortalem, fami, labori, fatigationi, frigori, ſitique expoſitam; etenim arguebant hæc omnia tanta indigna eſſe majeſtate: quodque proinde eius humanitas phantaſtica tantum fuiſſet, vel de cœleſti quadam parte, vel aëre compoſita.

D. AMBR. Lib. 2. in Luc. in illud: *facta eſt multitudo.* To. 3

*Marc.* 1. 13
*Matt.* 4. 11

XVIII.
Hæretici refelluntur.

Vah hæreticos proditores per quod enim Dei videmini velle honori conſulere, per hoc ipſum illi detrahitis, & omnino noſtrum euertitis, non ſpectat ad Dei honorem fallere & mentiri, ſi vera non fuiſſet, ſed phantaſtica eius humanitas: ſimiliter & eius dolores non veri eſſent, ſed ficti, falleret Deus & mentiretur. Similiter diuino derogabat honori partem quandam ſumere cœli, in medium, quo diabolum ſuperaret: hoc enim quid eſt longè præcellentiſſimum: ſed eius conſultum eſt honori, dum vicit diabolum infirmitate, paupertate, pœnis atque cruciatibus. Non hæc fuiſſet illi ſumma gloria ſuis nos ditare diuitijs, nos ſua glorioſos reddere gloria; nos ſua fortes efficere fortitudine, ſua vita nobis vitam elargiri. Hæc autem ſuprema eius eſt gloria per mortem dare vitam, per paupertatem diuitias, per infirmitatem fortitudinem, per lacrymas quietem, & per ſupremas iniurias ad ſupremam euehere gloriæ cœlique dignitatem.

8 D
XIX.
Per hanc veram noſtram naturam honori noſtro conſulitur.

Nec ſimiliter noſtro proſpectum eſſet honori: etenim niſi noſtram veram aſſumeret humanitatem, dolores noſtros, & infirmitates: partem in hoc opere nullam haberemus: ſed illud nobis traderetur perfectum. Hoc igitur eſt, quòd diuino noſtroque conuenit honori: vt vera ſit diuinitas cum veris ſuis diuinis perfecta proprietatibus: & vera humanitas veris humanis ſuis conſtans proprietatibus: vt dicatur quòd Deus ſupremum hoc per humanam infirmitatem myſterium operatur: ſimiliter & homo, qui diuina fultus virtute hoc myſterium operatur. Gloria hæc noſtra eſt, vt in iſto opere præcellentiſſimo pateat id quod noſtrum eſt, & ſi Deus hoc operatur, hoc operatur per illud quod ex noſtra ſumpſit natura. Hinc cauſa intelligitur ob quam Eccleſia, Apoſtoli, & Doctores tanto conentur ſtudio illud declarare, & præcipere vt ſic credatur explicitè. Quid tanti refert credere noſtræ carnis eiuſque miſeriarum cum diuinitate vnionem? an credere non ſufficit quòd Deus me redemerit, & diabolicæ eripuerit ſeruituti, dæmonemque proſtrauerit? nequaquam: etenim neceſſarium eſt, modum intelligere, ad diuinam noſtramque gloriam: diuinam autem contemnit ille gloriam, qui nequaquam intelligit, quod opus hoc Deus per noſtram operatus ſit infirmitatem; nec minori noſtram ludibrio gloriam exponit qui diffitetur id, quod ex noſtra confluxit parte noſtrum illud fuiſſe, per quod tantum impletum credimus eſſe myſterium. Itaque mea humanitate meis pœnis doloribus meis, meaque morte, quæ ſibi verbum aſſumpſit redempti ſumus, & captiuus fuit victuſque diabolus.

XX.
Cur hoc explicitè ſit credendum.

Hinc D. Ioannes ſeſe valde turbatum oſtendit contra illos, qui hanc conabantur inficiari veritatem: *Omnis ſpiritus qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, Antichriſtus eſt: & omnis ſpiritus qui ſoluit Chriſtum, Antichriſtus eſt.* Ne mihi veram carnem humanam negaueris cum ſuis defectibus & miſerijs in Chriſto; alioquin te dicam Antichriſtum. Ne mihi Chriſtum diſſolueris: quicunque enim illum ſoluerit eum eſſe dic Antichriſtum. Quid eſt Chriſtus? area præclariſſima, in qua vniuntur duæ facultates & bona Dei ſcilicet & hominis: eo modo quo in contractu ſocietatis, vniuntur & huius & alterius facultates: ita vt operetur cum humana infirmitate Deus: cum diuina

XXI.
Chriſtus ſolui non poteſt.
1. *Ioa.* 4. 2.
2. *Ioan.* 7.

virtu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

virtute operetur homo. Ne duas has diſſoluas naturas: eris etenim Antichriſtus gloriæ Chriſti aduerſarius; & quia Chriſtus Deus eſt & homo, per hoc Dei & hominis gloriam aſpernaris. Sic ſe Tertullianus fortiter opponit Marcioni: ô hæretice: *Quid dimidias mendacio Chriſtum.* O quæ eſt hæc gloria noſtra: quod ſi Deus me redimat, & diabolum vincat, meiſq; ſubijciat pedibus: hoc fit meis armis, quibus redemptionem Deus operatus eſt; pœnis, infirmitatibus, doloribus, morte: illa verò mea ſunt & quantò hoc patet euidentiùs, tantò Deus redditur glorioſior qui talibus medijs tam eximium operatus eſt myſterium: & homo tãtò honorabilior, ex cuius armamentario hæc ad ſuam victoriam arma ſumpſit inferiora.

Tertull. *L. de carne Chriſti c. 5.*

XXII. Cur DauidSaulis arma non ſumpſerit.

*1. Reg. 17. 38.*

Dauidi in arenam deſcendenti contra Goliath obtulit Saül arma ſua, idq; honoris & gloriæ cupidus: ſi namque illis Dauid indutus victor reuerteretur, huius gloriæ partem, & triũphi ſibi Saul vendicaret: etenim diceret ſi Dauid gigantem proſtrauit, mea fuerunt arma, quibus de illo triumphauit: ea de cauſa noluit Deus, vt illi quadrarent, nec illis vteretur, vt tota gloria Dauidi aſcriberetur, illique ſoli caneretur epinicion.

XXIII. HocChriſto accõmodatur.

Decertaturus Dei filius cum infernali gigante, cum illum ſuis momento temporis poſſet armis inuertere: noluit tamẽ: ſed ad armamentariũ humanæ naturæ recurrit, illa ſe veſtit, illius armis præcinctus prælium aggreditur: quatenus per hoc & homo reddatur glorioſus habeatque partem in hoc diuino triumpho: & ſi ea de cauſa Deo laudes concinant cœli & cœlites: homini ſimiliter laudes concinant: & per hoc maior ſit diuinæ gloriæ celſitudo: cum enim victoria non poſſit armis adſcribi cum ſint hæc ipſa infirmitas: tantò notior omnibus ſit eius virtus & pectoris fortitudo. Itaque ſicut, quatenus conſtaret, quam Deus ex ſua parte in hoc noſtræ redemptionis Sacramento poneret facultatem, neceſſarium fuit vt Chriſtus opera patraret diuina: mortuos ſuſcitaret, mundaret lepros os, ſuper aquas incederet, ſe glorioſum oſtenderet, qui heri ſuæ vocis imperio maximam Principum deiecit poteſtatem; ſic quatenus pateret, quid homo ad idem ex parte ſua conferret, opera erant neceſſaria in quibus humana clareſceret infirmitas, fames, ſitis fatigatio, metus, anxietas, talia qualia nobis hodie proponit Euangeliſta: etenim illum videmus Galilæam petentem, & timore mortis perterritum, quam illi in Iudæa hoſtes machinabantur, latibula quæſiuiſſe.

## §. 3. *Aſſumens Dei filius timores noſtros, & pœnas, illas Deificauit & ſanctificauit in noſtrum commodum: vt declarant D. Damaſc. & Card. Caietan.*

NOn tantùm Dei filius hos aſſumpſit defectus, dolores, & pœnas noſtras, nobis ad gloriam, ſed inſuper nobis ad vtilitatem ineffabilem: cum enim defectus illos aſſumpſit, illos altiùs euexit: ita vt illi, qui erant, & nobis inflicti ſunt, in noſtræ ſupplicium inobedientiæ: per gratiam illius inſtrumenta forent & gloriæ noſtræ, ac beatitudinis merita; adeo efficaciter, cum ita ſit, quòd illa omnia quæcumque ſint ſimul iuncta, quæ aliquis millionibus annorum paterentur, auſim dicere tota æternitate, non poſſent per ſe vel vnum gloriæ atomum mereri, nec pro minimo totius mundi peccato ſatisfacere: modò vel minimum eorum per gratiam Chriſti, & ex diuino participans eſſe, ad quod euexit, vel momento temporis toleratum: poteſt ex rigore iuſtitiæ totam cœli mereri beatitudinem omnia bona, Deique diuitias, quid plura? & ipſum Deum. Hinc patebit tibi quòd Apoſtolus Paulus primò aſſeueret, de omnibus loquendo pœnis, doloribus & tormentis, quæ paſſi ſunt & pati poſſunt mortales: quòd nimirum: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Compone cumulum (inquit D August.) in quem conflant Cruces D. Petri, & D. Andr. craticulæ D. Laurentij & D. Vincent. rotæ nouaculis inſtructæ D. Catharinæ flagella plumbata, ſcuticæ, ſcorpiones, leones, tigrides, ollæ plumbo oleoque feruentes, quæ cuncta legimus in SS. Martyrum paſſionibus. His adiunge ieiunia, & vigilias, anachoretarum diſciplinas, & cruciatus, quibus Monachi carnem ſuam atterebant: hæc omnia per ſe ſumpta, noueris: *Quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.*

I. Omnia opera per ſe non ſunt condigna vitæ æternæ.

II. Probatur ex D. Paulo. *Rom. 8. 18.*

Deinde conſiderabis illud Apoſtoli Pauli: *Quod momentaneum hoc & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Vel vna pectoris tonſio, vnum ieiunium, vna corporis caſtigatio operatur ac meretur totum illud pondus, quod cœleſtis gloriæ appendit magnitudo: Vnde hoc illi? ex eo quod Dei filius, has aſſumens pœnas, illis eſſe contulerit diuinum, in quantum erant actiones vel paſſiones diuini verbi, illiſque noſtram ope-

*2. Cor. 4. 17.*

III. Pœnæ noſtræ à verbo aſſumptæ, Deificatæ & ſanctificatæ.

operatus eſt redemptionem , iuſtificationem, & gloriam: per quod hanc illis virtutem tribuit:vt eius gratia confortatæ momento temporis vel minimus earum dolor operari poſſit & mereri, quod ſine illa omnes ſimul non poſſent, tota licet æternitate.

3.p q. 46. a.5.

Præclaris hoc terminis,nec mineri Theologia explicauit noſter Cardin. Caietanus,qui meo quidem iudicio inter mille ſubtilitate præminet ingenij Supponit, quòd Dominus omnes has, aſſumens paſſiones pœnas & noſtræ naturæ cruciatus, vniuerſa Deificauerit quantum ad mala ſua: *Chriſtus generalitatem paſſionum ſuſcepit , vt vniuerſum quo ad mala Deificaret.* Semper velim intelligas de malis pœnæ illis , quæ ante declarauimus. Explico me (ſic ſapientiſſimus Cardinalis.) Communis notaque eſt Sanctorum doctrina , quod verbum naturam aſſumens humanam , illamque ad diuinum ſuum attollens eſſe, per quod Deificata fuit, pariter extulerit totumque honorauerit vniuerſum, quantum ad omnia, quæ ſunt in eo bona: ex eo quod conſiderat D. Gregor. hæc omnia in homine ſolo compræhendi , qui microcoſmos eſſe perhibetur etenim commune habet eſſe cum lapidibus , viuere cum plantis, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis ; vnde Dei filio ad diuinum ſuum attollente eſſe , & Deificante hominis naturam, Deificatum fuit eſſe totius vniuerſi , eo modo quò declarant Theologi : ſicut enim dum Rex in vxorem ſibi aſſumit puellam terræ filiam , & abiectam , omnes eius parentes ex vtraque parte , illi conſanguinei , honorem acquirunt & ſtemma nobilius : ſic dum Deus ſibi humanam deſponſauit naturam , eamque extulit non inferius quam ad ſuum eſſe diuinum , omnia quæcumque illi ſunt affinia , ſtemma contraxerunt illuſtrius & hanc magnitudinem communicarunt lapides , qui cum illa communicant in eſſendo , plantæ in viuendo animalia in ſentiendo, & Angeli in intelligendo.

IV. Chriſtus vniuerſū ſanctificauit quoad bona & mala.

Hoc quod dicunt SS. Patres de vniuerſo, quantum ad omne quod continet bonum, viuere, ſentire, & intelligere , dico ego (loquitur Caietan.) de eodem quantum ad eius mala: ſicut enim homo mundi eſt quædam epitome , quantum ad eius bona, comprehendens in ſe omnes bonorum quæ in eo ſunt, gradus , ſic eſt & eiuſdem quantum ad mala : ſolus etenim in ſe concludit, omnes quantas pœnas miſerias, dolores , & labores omnes creaturæ totius patiuntur vniuerſi : quia in ipſo omnes comprehenduntur, ſecundum illud axioma Iob : *Homo natus de muliere &c. repletur multis miſerijs.* Cui concinit Dauid : *Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens.* Confringitur in partes & dirumpitur, vt lapides: moritur ſicut plantæ: dolores patitur & infirmitates cum animalibus : mutatur in cogitationibus ſuis velut Angeli : & nullum mihi protuleris defectum , pœnam , dolorem , aut mortis genus, cui viuentia ſubijciuntur animalia , cui non homo ſubijciatur ; nunc igitur ſicut Verbum humanam aſſumens naturam, & eius Deificans eſſe, quodammodo cunctas Deificauit creaturas : eo quòd omnes in illa comprehendantur natura, quam ipſe ſumpſit, ſibique viniuit: ſic etiam omnes eius aſſumens pœnas, dolores, & mala, cuncta Deificauit vniuerſi: *Sicut verbum diuinum ſuſcipiendo humanam naturam, aſſumpſit quodammodo totum vniuerſum , quo ad bona (pro quanto in homine omnes creaturæ quodammodo inueniuntur, & in principio huius libri declarauimus) ita ſuſcipiendo mala hominum in generalitate ſuarum paſſionum, Deificauit totum vniuerſum, quo ad mala: in malo enim hominis omnia mala quodammodo inueniuntur, vt omnino completum conſpiciamus quod ſic Deus dilexit mundum , & ſecundum bona, & ſecundum mala , vt filium ſuum vnigenitum daret.*

Iob 14.1. Pſ.38.6. Caiet.

Hinc collegerunt primò hæc mala ſibi maximum honorem , vitam nedum non ſint dedecori: quinimo ſummæ gloriæ & honori. Nihil erat in mundo execrabilius , nihil ipſa Cruce abiectius , nihil homini ignominioſius quam in illa ſuſpendit : nullo namque alio intentato proceſſu , poterat hic vt maledictus æſtimari : iuxta illud diuinæ legis inſtitutum: *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Veruntamen poſtquam Crucem ſibi Chriſtus baiulauit, & copulauit, illam tanto cumulauit honore: vt ipſa ſole ſit illuſtrior, ipſis ſtellis fulgentior, ipſaque ſola in qua ſolummodo gloriabatur Apoſtolus, illamque vitæ reddidit inſtrumentum quod ante fuerat mortis : eodem modo eſt intelligendum de cæteris pœnis , fame, ſiti, fatigatione, flagellis, ſpinis, flagris, ſputis contumelijs & ignominijs: etenim quia has in ſe aſſumpſit, illas ſic honorauit, vt in illis & cum illis ſibi applauderet Apoſt. *Complaceo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceſſitatibus in perſecutionibus , in anguſtijs pro Chriſto.* Quia omnes cruciatus hos , contumelias, tormenta , & dolores Chriſtus ſanctificauit, illos in ſe tolerando.

10 V. Mala noſtra honorem ex Chriſto conſecuta ſunt.

Deut.21. 23. Gal.3.13.

2.Cor.12. 10.

Mirabilem narrat nobis Spiritus Sanctus hiſtoriam de aquis Mara : erant autem hæ tanta amaritudine inſipidæ: vt populus in ſeditionem verſus,

ſus,

VI. Lignum aquas dulcorãs Chriſtũ ſignat. *Exod. 15.25.*

ſus. in Moyſen murmurans inſurrexerit: *Et murmurauit populus contra Moyſen*; ad has Moyſes compulſus anguſtias, & neceſſitate preſſus recurrit ad Deum, pro remedio flagitans: *At ille clamauit ad Deum qui oſtendit ei lignum quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſa ſunt.* Perpendamu hic verbum illud: *In dulcedinem:* non ait dulces effectæ ſunt, ſed ipſa dulcedo. Hoc SS. Patres de Cruce interpretantur, Origines D. Ambroſ. D. Greg. Nyſſen. & Rupert. quos refert Lipom Sed de Chriſto capiamus: e enim non minori illi proprietate conueniet: opinatur noſter Cardinalis lignum illud virtutem habuiſſe indulcorandi, quocirca notat quod in Hebræo legatur: *Docuit ipſum Dominus lignum. Dicendo docuit, inſinuat, quod lignum illud naturalem habeat virtutem reddendi dulcem aquam amaram:* nec ab hoc abhorret Spiritus S. declaraturus enim virtutem quibuſdam herbis à Deo inditam medicinalibus, ait: *Altiſſimus creauit de terra medicinam &c. nonne à ligno indulcata eſt aqua amara?* D. Auguſtin. arbitratur quod non, quamuis enim fuiſſet vel fauus mellis, vel panis ſaccari, tantâ aquarum copiâ potius illum amarum effeciſſet, quam ipſum lignum aquas indulcoraſſet, cum fontes eſſent ſtagna, vel riuuli.

VII. An virtus hæc ligno naturalis fuerit. Caiet. *Eccl. 38. 4. De mirabil. S. Scri. c 22. Tom. 3. Pſ. 1. 31. Pſ. 68. 3.*

Si meam quæſieris opinionem: credo quòd realiter virtutem habuerit, ſed non ſufficientem, erat enim figura & ad virtutem non poterat aſcendere figurati. Fuit autem ſymbolum Chriſti Domini, illius ligni, de quo pſallit Dauit: *Lignum plantatum ſecus decurſus aquarum.* Iniectum fuit lignum hoc paſſionis ſuæ, laborum, & pœnarum aquis amariſſimis: *Veni in altitudinem maris & tempeſtas demerſit me.* Dulcedine namque repleuit pœnas, impleuit labores, nec hoc ſatis: verum & ipſos in ipſam conuertit dulcedinem: *Inundationem maris, quaſi lac ſugent.*

*Deut. 33. 19.*

VIII. Hinc Sãcti gaudent in afflictionibus.

Hinc ſecundò conclude, quòd iam nullus cruciatus exhorreat, nullus fugiat, vt quid mali, ſed amet & quærat, vt boni paranſque delitias: vnde inuenias, quod non tantum mundani delitijs recreentur terrenis, ſicut Sancti Cruce delectantur, pœnis gaudent; & delectantur amaritudinibus; videbis autem. D. Andream in ipſa Cruce quantopere delectatum, & D. Laurentium in ipſis craticulis quantopere tripudiantem, & ipſas virgines teneriores ferreis gaudentes vncinis & flagris exultantes. Tandem, hoc inde acceperunt: vt facta ſint inſtrumenta gloriæ ea, quæ nobis erant dataque ſunt in ſupplicium, & noſtrorum criminum mulctam: quia namque illa Chriſtus aſſumpſit in inſtrumenta, quibus noſtram operatus eſt redemptionem, iuſtificationem & glorificationem & omne noſtrum bonũ: hinc illa ad tantam euexit dignitatem, vt gradus quidam ſint, quibus ad cœlum ſcandimus, ipſaque media quibus cœleſte regnum obtinemus.

Hoc Apoſtolus verbis præfatis inſinuat: *Æternũ gloriæ pondus operatur in nobis.* Perpende, in quẽ finem mala noſtra pœnaſque Chriſtus aſſumpſerit. Audite libet illuſtriſſimum Cardin. Caietan. *Prodeſt autem malorum eiuſmodi tanta dignitas humano generi valde: quoniam malorum incurſus poſt Adæ peccatum ineuitabilis eſt & neceſſarius in via virtutis ambulantibus ad cœleſtem patriam, naturaliter autem exoſa fugabilia, triſtiaque ſunt mala & propterea arcta duraque dicitur via vitæ: ſed vbi aſſumpta à verbo Dei in propria perſona mala ſunt, Deificata proculdubio ſunt & inde reddita ſunt deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum, cum non habentur, & dulciora ſuper mel & fauum cum habentur, vt geſta Martyrum teſtantur dicentium hoc eſt quod ſemper optaui. Videor mihi quod ſuper roſeos flores incedam &c. & hinc virtutis via patiendo mala, facta eſt humano generi amabilis deſiderabilis atque delectabilis ſecundum ſeipſam ſed animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. Palato enim non ſano, pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis, & oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis.* Verbis, applaudite præclariſſimis quæ ſummam notant ſapientiam excellens probant ingenium & ſpiritum redolent acutiſſimum. Caietan.

Optime ſemper mihi placuit hæc doctrina: verum tanto gratior fuit poſtquam illam inueni apud D. Ioann. Damaſc. qui ex profeſſo diſputans de pœnis & paſſionibus, quas Dei filius cum noſtra aſſumpſit natura, atque huius cauſam indagans; concludit: *Omnes ſ. aque accepit, vt omnes ſanctificet.* Omnes per hoc ſanctificatæ fuerunt, & mirum in modum exaltatæ: vt iam electis non ſint dedecori, ſed decori, non ignominiæ ſed ſummæ gloriæ, non mortis media, ſed vitæ gradus ſempiternæ. Quem pudebit probroſum audire verbum, iniuriam perferre, ferre crucem: quandoquidem hæc omnia in ſe Chriſtus aſſumpſerit? quis timebit famem, quis ſitim, quis mortem, cum illas Chriſtus & aſſumpſerit, & in ſeipſo pertulerit? *Omnes accepit, vt omnes ſanctificet.* Ignis eſt actiuitatis maximæ, vt ſi ferrum ad illũ acceſſerit frigidum, quamuis non mutet in illo naturam, nouas tamen illi tribuat qualitates: illud etenim penetrat & calefacit, reddit fulgidum,

D. Dama. *L. 3. Orth. fidei. c. 10.*

IX. Deus omnes paſſiones in ſe sãctificauit.

&

& eandem ignis virtutem infundit. Deus ignis eſt conſumens, ſibi noſtrarum ferrum pœnarum copulans, illas licet non mutet in ſubſtantia, tamen penetrat, deificat, & ſanctificat, eo modo vt illas reddat honorificas, & glorioſas, atque vt in nobis noſtrã operentur gloriam ſicut ille per eaſdem noſtram dignatus eſt operari redemptionem.

X. Allegoria de olla Eliſæi. 4. Reg. 4. 38.

Nota familiariter eſt illa olla filiorum Prophetarum, teſte Spiritu S. implent illam amarioribus herbis id eſt colocynthidis, arbitrati coctionem illam fore ſapidam & ſalutarem, apponunt menſæ, comedunt, guſtant felle amariorem, imo mortiferam, itaque exclamant vnanimes & Prophetam inuocant: *Mors in olla vir Dei: mors in olla.* Accedit Elizeus, & farinæ ſumens pugillum ollæ injicit, ſic vt illa colocinthidis amaris incorporetur illaſque penetret: quo factum eſt: vt in dulcedinem converterentur gratiſſimam: quæ prius erant amariſſimæ: ita vt qui prius illas exhorreſcebant, vt mortis venenum, iam præ dulcedine ſibi digitos delambant. Quàm elegans noſtræ naturæ ſymbolum: olla eſt herbis referta amarioribus. Quam inuenias mihi amaritudinem huic ollæ non ingeſtam? mundum percurre: non enim pœnam inuenies, non dolorem, non laborem, quibus hæc olla non repleatur: quanta fames, ſitis, quot dolores, anxietates, anguſtiæ, miſeriæ, inopiæ, timores, clades, mortes? heu, quam moleſtus erat hic cibus hominibus! quis non illum exhorruit? Eliam videbis, qui cum eſſet adeo zeloſus, ac robuſtus: tamen per deſerta & inuia profugus mortem fugit, quam illi ſacrilega illa regina Iezabel inferre moliebatur.

Abraham tamen fugit, & in Ægyptum ſecedit cum aperto tamen periculo perdendi aut propriam vitam, aut vxoris ſuæ pudicitiam. Iſaac eandem ob cauſam in terram abit Palæſtinorum, ſeipſum grauiori exponens diſcrimini. Heu quàm amarum eſt hoc ferculum! quid facto opus? veniat Elizeus, id eſt: *Deus ſaluans*, & huic ollæ amariſſimæ, & felleæ farinam injiciat diuini ſui eſſe & hæc totam peruadat ollam, Deificet humanitatem, & mala, quæ ſunt illi propria, reddat diuina in quantum illa diuinæ ſuæ vniuit perſonæ: videbis in quantam modo ſint verſa dulcedinem: vt ad illa anhelent Sancti, nedum viri ſed etiam puellæ teneriores, iamque ſint vitæ media, quæ prius fuerant mortis inſtrumenta. Hoc inde prouenit, quòd illa Deus & ſanctificauerit, & Deificauerit.

XI. Paſſiones amaras Chriſtus dulces efficit.

Quænam videmus quotidie per artem effici? eſt pomum aureum in cortice ſua amariſſimum, ſic vt ex eius ſolummodo contactu manus tibi amaricentur in tantum: vt quidquid illæ tetigerint, reddant amarum. Amarus eſt roſæ flos, vt nemo illum comedat, poſtea ſumit & vnum & alterum conditurarum ſalgamarius ſeu confector & permiſcet vtrumque ſaccaro, efficit, vt hoc corticem peruadat pomi aurei, & roſæ folium: ſed quam ſuaue pomum, efficitur? quàm gratum roſæ folium quàm ſalutiferum? quàm aptum ſalutis inſtrumentum, quo ſtomachus tibi incompoſitus reparetur, quod tamen prius illius erat ruinæ medium, & vomitus excitatiuum. Hoc eſt quod cœleſtis ille ſalgamarius agit cum laboribus, pœnis, & noſtræ naturæ paſſionibus: *Illas Deificauit.* (inquit Caietan.) *Omnes illas ſanctificauit.* (inquit D. Damaſc.) quatenus videas, quàm imprudentes & impudentes ſint hæretici qui ſub titulo quod dedecori futurũ ſit Deo, noſtras illas ſibi vnire miſerias, illas in Chriſto negauerunt: ſicut illi veram carnem, & veram negauerunt humanitatem.

XII. Similitudo de pomo punico & flore roſeo.

O mente captos! quàm multa ignoratis & quàm parũ vobis nota eſt Dei virtus & altiſſimũ redemptionis noſtræ Sacramentum: non enim Deo fuit ignominioſum noſtram aſſumere carnem; noſtras ſibi vnire miſerias: quia non tam infirmi roboris virtus eſt & eſſentia Dei, vt illo diuino illi eſſe & potentiæ poſſint præualere. Ignis frigus non contrahit quia ferro coniungitur congelato, ſed ferrum calorem contrahit, & ignis virtutem: nec lux fuligine maculatur: quia copulatur aquæ: ſed aqua redditur ſplendida ab ipſa luce penetrata. Sic in hoc cœleſti perpende myſterio: nam diuinitate diuinis ſuis perfecta proprietatibus ſeipſam vniente humanitati, humaniſque proprietatibus in perſona filij Dei, ſicut humanitas Deificata fuit, & diuinitas humanata: ita proprietates diuinæ factæ ſunt humanæ, & paſſiones humanæ redditæ ſunt diuinæ: ipſa namque Dei fortitudo debilis adeo fuit: vt mortuus ſit; & hominis infirmitas adeo fortis: vt omnem ſuperauerit diaboli potentiam, eumque mundo victum exterminarit: diuitiæ Dei ad tantam redactæ pauperiem, vt non habuerit vbi caput ſuum reclinaret; hominis verò paupertas, adeo diues, vt ad manum habeat omnes theſauros & diuitias Dei infinitas: Dei maieſtas ſic abiecta, vt naſcens locum non habuerit ſtabulo & præſepi digniorem, & moriens nullum lectum ipſa Cruce molliorem; hominis autem vilitas in tantam excreuit majeſtatem, vt exaltata ſedeat in cœlo ad æterni Patris dexteram glorioſa: vita Dei mortua fuit;

XIII. Similitudo de ferro ignito.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

fuit; vita verò hominis ſic vita, vt iam non moriatur, ſed vitâ gaudeat æterna. Et ſicut hoc diuinæ proprietatis non habuerunt in ſe, & per ſe niſi ex participatione infirmitatis humanæ: ſic ne illa hoc obtinuit per ſe, niſi per hoc quod in illam reſultabat ex vnione cum proprietatibus diuinis in vno ſuppoſito. Itaque per hoc impletũ eſt, quod Deus olim per Prophetam ſuum Aggæũ

XIV. Omnia Chriſtus commouit. *Agg.2.7.*

promiſerat quod nempe mittens Pater filium ſuum in terras, cœlum terramque eſſet alteraturus. *Commouebo cœlum & terram.* Cœlum etenim reddendum erat terrenum, in ſe vilis terræ recepturum qualitates, terra verò ad eſſe cœleſte tranſcenderet, & proprietates indueret cœleſtes. Huius myſterij ſcientes Euangeliſtæ ſublimitatẽ: non ſolum, vt imperfectionem non imputant Domino, dum illum affectibus his, pœnis, paſſionibus, & doloribus repræſentant indutum: ſed in non modicam gloriam noſtram nobis illum his affectum proponunt, vt hodie D. Ioann. meticuloſum, mortem fugientem & quaſi ad vmbram tectorum ſe abſcondentem; veruntamen de hac materia & rebus ad eam ſpectantibus fuſius dicendum die Lunæ proximo, cum agendum erit, de timore Chriſti orantis in horto; ſit autem hoc nunc dictum in communi, & deſcendamus ad cauſas timoris hodierni ad noſtræ ſalutis incrementum.

## §.4. *Timet Chriſtus, & ſe ſubducit, vt veram ſuam oſtenderet humanitatem, & quam verè dolores pœnaſq; ſentiret.*

☞ 11 A*Mbulabat Ieſus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare.* Peracto in Ieruſalem ſigno illo prodigioſo quo Paralyticum apud piſcinam erexit in pedes, mille graues Phariſæi Chriſto lites intentarunt, nominatim, eo quod præcepiſſet iam ſanato: tolle lectum tuum: quia vt dies erat feſtus, cenſebant præceptum hoc eſſe feſti violationem: quia præcipiebat hoc quod illis erat illicitum & lege prohibitum: onera ſubleuare. De hoc grauem Chriſtus cum illis aggreſſus eſt diſputationem, in qua quanto clarius ſuam illis aperiebat diuinitatem tãto in illũ inſurgebant ferociùs & vitam illi auferre moliebantur. Hac tempeſtate ſeceſſit Dominus de Ieruſalem & Iudæa abijtque in Galilæam, & per varia illius Prouinciæ loca incertis laris vagabatur. Hoc enim his verbis innuitur: *In Galilæam id eſt per Galilæam.* Et Beda diligentiſſimus temporum inquiſitor, aſſerit, quòd illa vice Dominus in illa Prouincia per ſemeſtre moram traxerit: quo tempore innumera, & maximè prodigioſa patrauit miracula: quorum catalogum recenſet Diuus Matthæus à cap. 5. vſque ad 18. inter quæ & illud annumeratur de quinque panibus: cuius Domin. 4. meminimus. Iudæi qui

I. Chriſtus in Galilæa plura fecit miracula

templum aſcendebant, illum inquirentes, dicebant: *Vbi eſt ille?* conuenit etenim homini primario die feſto in templo comparere: ſi itaque defuerit, hoc illi vertitur imperfectioni: locum habet ſignatum, ſicut defectus Dauid in menſa Regis. Notatu dignam dedit Moyſes Pharaoni reſponſionem, præcipit illi in Dei nomine: Domine mi Rex, dimitte populum Dei: cui Rex: non dimittam: ſuam in hoc reſponſo manifeſtans obduratam erga Deum rebellionem. Quid Deus? ſæuis Pharaonem cædit flagellis, obruitur locuſtis. O quantum pondus! has illi primo minatur Moyſes: obſurdeſcit pertinax. *Dixerunt autem ſerui Pharaonis ad eum: vſque quo patiemur hoc ſcandalum? dimittite homines vt ſacrificent Domino Deo ſuo: nonne vides quod perierit Ægyptus?* Domine mi, an tuæ ſic placet maieſtati, vt moriamur omnes, totumque regnum internicione deleatur? reuertantur Moyſes Aaron, inquit Pharao: ite & ſacrificate, quinam ituri ſunt? nos cum filijs noſtris, filiabus, familijs, armentis, gregibus, omnibus denique Ægypto nobis eſt egrediendum, eſt enim ſolemnitas Domini Dei noſtri (inquit Moyſes) non ſic, inquit Pharao, non ſic abibitis: *Sic Dominus ſit vobiſcum, quomodo ego dimittam vos, & paruulos veſtros cui dubium eſt quod peſſime cogitetis.* Nolo vos omnes proficiſci: viri tantum ætatis perfectæ ſacrificaturi pergite: *Non fiet ita, ſed ite tantum viri & ſacrificate Domino.* Sanè, Domine mi Rex, inquit Moyſes alio fieri nequit modo ſed omnes eo quo propoſui modo, debent excedere: ſolemnitas eſt Deo noſtro primaria: numquid non omnes conuenit tantæ intereſſe ſolemnitati? feſtum eſt in quo nos ipſos offerre Deo debemus velut Domino noſtro atque omnes illum confiteri & vt talem venerari, & ad illud omnes nos confluere recuſas: abſit omnino: quicumque enim in hoc defuerit, in illo feſto deficere percipietur.

*Exod. 10.7.*

II. Omnes & omnia debent ad Feſtum cõcurrere.

Igitur Iudæam Chriſtus deſerit nec in ea diutiùs audet ambulare: *Quia quærebant eum Iudæi interficere.* Quid hoc Domine mi, tune formidas? numquid tu æterni Patris poteſtas omnia ſuſtinens, & ſubtrahente te manum tuam, nedum inimici tui ſed & cuncta quælibet in nihilum redigentur? quid tibi magis agendum Domine, niſi vt vel parumper ab eis faciem

III. Cur Chriſtus fugiat qui hortatur omnes, ne timeant.

tuam auertas, vt perturbentur, & in puluerem
Pſ. 103. 29. collini redigantur? *Auertente te faciem tuam, te turbabantur; auferes ſpiritum eorum & deficient & in puluerem ſuum reuertentur.* Quod ſi nolueris faciem tuam ab illis euertere: quid amplius agendum, quam vt conuerſus ad illos dicas; *Ego ſum:* quo fiet vt omnes in terram elumbi & infirmi collabantur? nobis aſſeruiſti; nemo me poteſt occidere, nemo mihi animam tollere, niſi quomodo, & quando mihi placuerit; *Poteſtatem*
Ioann. 8. 18. *habeo ponendi animam meam* Illis dixiſti quærentibus animam tuam; vt hoc illis certo certius aſſeuerares. Dein numquid tu ille, qui tuos toties præmonuiſti, ne timerent, hæc milies
Luc. 12. 4. inculcans: *Dico vobis, amicis meis, ne terreamini*
Matth. 10. 16. & 18. *ab his, qui vos perſequuntur.* Quoties illis hoc repetiſti; *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum, nolite timere eos qui occidunt corpus &c.*

Loquitur Spiritus ſanctus de Magis Pharaonis, qui inter Ægypti tenebras tanto ſe efferebant animo, vt ipſi cæteros exhortarentur, ne timerent; vbi illi eſſent: etenim eximia, quâ pollere ſe dicebant poteſtate, in cunctis illos periculis reddebant tutiores, & ſecuros: veruntamen ad minimum ſtrepitum illis exortum, ridiculum fuit videre ipſoſmet omnium maximo
Sap. 17. 8. timore perterreri: *Illi qui promittebant timores & perturbationes expellere ſe ab anima languente: hi cum deriſu pleni timore languebant.* Siccine vos animo fortiſſimi? ſiccine vos, qui alios hortamini, dicendo: nihil eſt quod timeatis? numquid tu Domine comparandus illis, qui omnem ab illis timorem expellens, & tuæ hortaris vt poteſtati confidant: primus es qui timore percelleris, & eo quidem tanto, vt fugam ineas, quæraſque latebras? Dux ille Zebul buccinaueral, vt narrat Spiritus S. ſuiſque dixerat militibus, vt nullo modo ſuos vererentur aduerſarios, rem eſſe riſu dignam, quam illi poſſent in effectum producere: verumtamen vt vidit hoſtium copias aduentantes, palleſcit, contremiſcit, & pudore confuſus fugam capeſcit, indecoram: cui alter: tune ille verbo robuſtiſſimus? tune ille, qui nobis animos ingerebas? *Vbi eſt nunc os*
Iud. 9. 38. *tuum quo loquebaris? &c.* Caue tibi ſupreme omnium Dux, ne tibi idem exprobremus. Cum tot propoſitis verbis, & exhortationibus ne timeremus homines; tu modo cum illos vides tibi aduerſarios, leporem induiſti.

IV. Huic altera connectitur difficultas; etenim
Non videtur ex non verum fuiſſe, Domine mi, quis dixerit, illud deſiderium, quod indicaſti, quando ſæpe ſæpius dixiſti: pro hominum ſalute mori vehementius exopto: verbum dixiſti D. Petro, quo illum perterruiſti, dum te dicente, quòd eorum manibus eſſes occidendus ipſe te ſupplex rogauit, vt de hoc nihil omnino ageretur: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc:* etenim illi reſpondiſti: *Vade poſt me Satana: ſcandalum es mihi, quia non ſapis quæ Dei ſunt.* An mortem vis vt fugiam? Satana es mihi: qua nunc igitur ratione illam fugis, & exhorreſcis? nũquid audiuimus te dicentem: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur.* Balneum mihi parandum eſt proprio ſanguine fluidum: & cor mihi quaſi inter duos molares lapides arctatum comprimitur, quia hoc mihi diu nimis procraſtinatur. Vt quid ergo ſecedis? quid de me diceres, ſi crebro tibi aſſeuerarem, me vehementer optare aliquid tui gratiâ præſtare, & conquerar, quòd operam meam non in aliquo tibi grato impendas: ſi tamen petenti tibi à me, vel minimum obſequium dorſum verterem, latebras quærerem, & diuerticula, ne tibi obuius inueniar? tune ille, qui tot verba promiſſis impendiſti? illis tuum cor deberet conſtanter inhærere. O Domine, quàm hoc aptè, ni fallor, tibi obijceremus: quòd puerulus ab Herode quæſitus ad mortem fugam inieris, non mirabor: etenim non ſuadebat ratio, in ea te ætate occumbere: niſi prius tuam prædicaſſes doctrinam tuam per miracula manifeſtaſſes perſonam: hoc enim erat, quod Deus ſtatuere decreuerat: quando hoc in lege ſua ſtatuit mandatum: *Non coques hædum in lacte matris ſuæ.* D. Auguſt. opinatur ſenſum horum verborum litteralem eſſe de Chriſto: quia noluit inhibere, ne coquatur hædus in lacte matris ſuæ: cum nemo hoc faceret: vnde non erat, illud vetari: ſed nec ſimiliter, ne agnus eodem die cum matre lactante occidatur, quia hic apud Iudæos mos non inoleuerat: nec illis inhibitum erat agnum comedere lactantem: ſed inſinuare vult, ne coquant, hoc eſt, occidant nec agnum hunc Chriſtum torqueant in lacte id eſt, ætate teneriori, quando eum mater virgo vbere lactabat virginali: ſed expectetur donec ad ætatem increuerit maturiorem. Iam, Domine mi, ad ætatem perueniſti maturam: vt quid igitur mortis hic quæris effugium?

Huius ſeceſſus, anxietatis, & timoris Chriſti multas SS. Patres, concinnant rationes. Prima depromitur ex D. Auguſt. eſtque familiaris & communis ab hominibus allegata Sanctis, quam ante tetigimus: nimirum, vt per hoc nobis veram oſtenderet ſuam naturam humanam noſtræ ſimilem.

illo timore verum fuiſſe Chriſti deſiderium moriendi.

Matt. 16. 23.

Matt. 12. 50.

Exod. 33. 19.

L. qq. in Exod. q. 90.

V. Cur non poſſit hædus coqui in lacte matris ſuæ.

13

VI. Chriſtus fugit vt oſtenderet

ret ſe verum hominem.

Tract. 28. in Ioannem.

Tom. 9. Serm. de Transfig.

D. Leo. Serm. 7. in 2. ad Philipp.

milem. Erat, ait D. Leo ad noſtræ fidei integritatem ita neceſſarium credere Chriſtum eſſe verum hominem, veramque habere humanitatem: ſicut quod verus eſſet Deus veramque haberet diuinitatem: nec minoris eſſe periculi contra illam, veritatem negare humanitatis quam veritatem negare diuinitatis: *Æqualis erat periculi Dominum Ieſum Chriſtum, aut Deum tantummodo ſine homine, aut ſine Deo ſolum hominem credidiſſe.* Sciebat autem ex altera parte Dominus noſter, inquit D. Chryſoſt. futuros multos hæreticos, & docturos veram Chriſto non ineſſe humanitatem, nec veram carnem: ſed tantum apparentem, & phantaſticam: qualis illa eſt, quam oſtendit Angelus formam aſſumens hominis: non enim eſt humanitas, nec caro vera, ſed phantaſtica, atque ex aëre compoſita: non enim ſentit, non dolet, non facit impreſſiones ſicut alia: licet ictû illi infligas vehementem, vel pugione confodias. Sic docuit Marcion, & cum ipſo Paulus Samozatenus aliique hæretici.

Ad huius veritatis confirmationem voluit nobis ad oculum oſtendere veras humanitatis, carniſque proprietates. Vnde ſe nobis propoſuit timentem, dolentem, pœnis afflictum, lacrymantem, anxium, & mortuum: hæc etenim omnia veritatem hanc apertè teſtabantur: hoc eſt quod elegantèr dixit D. Paulus, vt declarat D. Chryſoſtom. *a* & conuenit Doct. Angelicus *b* quando de ſummo diſputans pontifice Chriſto, eius volens miſericordiæ declarare magnitudinem, ſic ait: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia, pro ſimilitudine abſque peccato, tentatum per omnia ad ſimilitudinem noſtram.*

a *In hunc loc.*

b *In c. 4. ad Hebr. l. 3.*

Tentari (inquit D. Thomas) fit ad rei alicuius diſquiſitionem, num vera ſit, vel non, eo fine aurum injicitur fornaci, eaque mente chyrurgus tentat, pungit carnem mortificatam, vt experiatur an viua ſit: *Tentare eſt experientiam ſumere de eo, qui tentatur:* ſic aiebat Moyſes. *Tentat vos Dominus Deus veſter vt palam fiat, vtrum diligatis eum.* Eodem modo loquitur S. Pagina: *Tentauit Deus Abraham &c.* in quæſtionem conijcienda erat vera Chriſti humanitas: huius autem tam clara facta eſt experientia; vt in omnibus conſtet manifeſtius: *Tentatum per omnia.* Multa ſunt in quibus probatur habere te carnem viuam veramque tuam eſſe humanitatem quodque realiter oſſibus carneque conſtes. Sunt autem pœnæ & dolores quidam in anima, triſtitia, timor, anxietas, ſolicitudo, pœnalij in corpore fatigatio, ſudor, fames, ſitis, mors. Sancti multas ex his paſſi ſunt qualitates: *Multæ tribulationes iuſtorum* pſallebat Dauid, veruntamen nullus omnes ſuſtinuit: ſolus Chriſtus tolerauit omnes & quaſlibet infirmitates ac dolores, quos ſuſtinere poſſet humanitas, excepto peccato: *Tentatum per omnia abſque peccato.* Non eſt enim fames, non ſitis, non pœna, non dolor, non timor, non fatigatio, non mors, quam Chriſtus non ſuſtinuit: vt probat D. Thom.

VII. Chriſtus per omnia tentatus eſt.

Ad Hebr. 4. 15.

2. 2. q. 97. a. 1.

VIII. Quid ſit tentare.

D. Tho.

Deut. 13. 5.

Gen. 22. 1.

Pſ. 33. 20.

3. p. q. 46. a. 5.

Eadem ob cauſam appellat eum Iſaias: *Virum dolorum,* ſicut à Dauide vocantur; *Viri diuitiarum:* illi, quibus eiſtæ crepant opibus, & affatim ſuppetunt diuitiæ in omni genere auri argenti, metalli & & veſtimentorum; & hoc pro: *Pro ſimilitudine* ſignificat: *Ad ſimilitudinem noſtram.* Paſſus eſt & ſenſit omnia hæc eodem modo quo cæteri homines, qui puri ſunt homines, eius paſſiones & pœnæ, non fuerunt in ſola apparentia & phantaſticæ, eo modo quò Raphael Angelus in figura venuſtioris adoleſcentis ad menſam comeſturus accumbebat, ſic vt edere videretur: ſed hoc tantum fiebat apparenter: ipſo teſte: *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere; ſed ego cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, vtor:* Sed veram & realem ſuſtinuit mortem, eiuſque animam effectus illius afflixerunt & corporis dolores cruciarunt; pœnas ſenſit, ſicut cæteri hominum: quinnimo magis ex admirabili carnis ſuæ cõplexione.

Iſai. 53. 3.

Pſ. 75. 6.

IX. Idcirco vir dicitur dolorum.

X. Angeli phantaſticè apparent.

Tob. 12. 19.

Hinc idem monet Apoſtolus & ex eo quod tu dolores ſentis tuaque mala, colligas, quo Chriſtus dolore ſenſus illa tolerauit: quia paſſus eſt ad ſimilitudinem noſtram ille, qui humanitatem habuit noſtræ comparem: *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo:* inſuper hoc ipſum diuinè declarauit vates Euangel. Iſaias, poſtquam enim eum inſcripſiſſet: *Virum dolorum:* ſubiungit: *Scientem infirmitatem,* quaſi apertè dicat, quòd optimè nouiſſet quid labores eſſent & & dolores, quòdque illos dolore ſenſerit atrociori, quam vnquam aliquis ſenſerit hominum. Et ſic loquitur Apoſtolus, conuerſabatur vt patientibus compateretur; ſi namque dolores illius phantaſtici ſolummodo fuiſſent, nec illi cor pupugiſſent, non ex illis noſtris compateretur infirmitatibus.

Ad Phil. 2. 7.

Iſai. 53. 3.

XI. Chriſtus vir fuit ſciens infirmitatem.

3. p. q. 41. a. 1.

Ex his collige cum D. Thoma, primò: tuis in aduerſitatibus pœniſque patientiam; quandoquidem tales tu minimè pro teipſo tuiſque ſceleribus patiaris quin illas multò grauiores pro

XII. Ex his diſce patientiã & fiduciam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hebr. 12. 3.

ipſis filius Filius Dei tolerauit. Quod ſi eas ipſe paſſus ſit non pro ſe, ſed pro te, non graue fuerit eaſdem in te pro te ipſo tolerare. Hoc nobis indicat Apoſtolus his verbis: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigimini animis veſtris, deficientes.* Collige ſecundò: firmam fiduciam, quâ debeas accedere pœnis tuis & anxietatibus ab hoc Domino poſtulaturus remedium: & dum dolore pœnâque affligeris optimum eſſe reor medium, ſi ad ipſum recurreris, eique propoſueris atque in memoriam reuoces, quantum eſt ex parte tua, quos pro nobis dolores pœnaſque ſuſtinuit. Tu, cui cœna deeſt, nec habes, quo ventris impleas inanitatem, niſi lapides, te ipſum in eius conſpectu ſtatue, eumque alloquere. heu Domine mi, tu optimè noſti quantum ſit hoc tormentum: cum in deſerto tanta corpus tuum fame fuerit afflictum: vt non niſi lapides, quibus illud nutrires, haberes: quotieſcumque tibi verbum dicitur cordis intima vulnerans, ad illum recurre & deprecare; cum enim ipſe ex illis, quæ illi dixerunt adeo acerba, ſciat quid hac in occaſione tranſeat, tibi in hac quoque dignetur Largiri patientiam, vt autem nos de hoc Euangeliſtæ redderent certiores, illum nobis repræſentant affectibus ſubditum humanis: nunc compaſſione, nunc fame, nunc fatigatione, nunc timore, & anxietas: ſicut Euangeliſta modo manifeſtat.

### §. 5. *Chriſtus ſecedit, vt confirmet eſſe licitum Chriſtiano tempore perſecutionis quærere latibulum.*

☞ 14 l. 12. contra Fauſt. c. 36. & tract. 15. & 49. in Ioan. ad fin. To. 6. & 9.

SEcundum rationem aſſignat idem D. Auguſtinus: Chriſtus ſe Iudæis ſubtraxit: quo doceret, nedum non eſſe peccatum aliquando fruente perſecutione ſeſe ſubtrahere, quinimo hoc adſcribendum eſſe prudentiæ. Quidam docere voluerunt doctores, quòd inſurgente rabie perſecutionis contra Chriſtianos in communi, vel aliquos in particulari, licitum non ſit ſibi fuga cõſulere: ſententiam hanc defendit Tertullianus auctor grauiſſimus, atque in eum finem librum compoſuit: *De fuga in perſecutione* Sic refert D. Auguſt. idem ſenſiſſe Gaudentium hæreticum ſuo tempore celeberrimum, ex doctrina Chriſti docentis, verum paſtorem proprias oues non dimmittere quinimo pro earum ſalute vitam ſuam profundere: fugere vero proprium eſſe mercenarijs, qui oues, non vt proprias, diligunt: *Mercenarius autem quia mercenarius eſt & non pertinet ad eum de ouibus.*

II. Error eſt docere illicitum eſſe fugere. L. 1. contra Epi. Gaudentij c. 8. Tom. 6.

Ioan. 10. 12.

Hoc illi defenderunt auctores; ſed error eſt, inquit D. Auguſt. quandoquidem ſatis apertè nobis fidei magiſter inſixerit: *Si perſecuti vos fuerit in ciuitate vna fugite in aliam.* Et nedum hoc verbo docuit ſed & opere; cum ſæpius perſequentium ſe ſe manibus fugitiuus eripuerit: *Non potentia eius defecerat in qua vtique ſi vellet, & palam cum Iudæis conuerſaretur, & nihil ei facerent, ſed in hominis infirmitate viuendi exemplum, diſcipulis monſtrabat: in quo apparet non eſſe peccatum, ſi fideles eius qui ſunt membra eius, oculis perſequentium ſe ſubtrahant, & furorem ſceleratorum latendo potius deuitarent, quam ſe offerendo, magis accenderent.* Non igitur vecordis eſt animi terga dare inimico? numquid fuga puſillanimitatem arguit? numquid ſe victum fatetur vireſque ſuas inimici viribus eſſe longe inferiores? nequaquam: quinimo aliquoties maximam fuga declarat animi fortitudinem. Eſt fortitudo virtus moralis in quodam conſiſtens medio inter duo extrema puſillanimitatis, ſcilicet & præſumptionis, ſeu temeritatis. Semper fugere puſillum indicat animum, & infirmum; ſemper autem velle inimicis obſiſtere, temerarium eſt & præſumptuoſum. Vera autem fortitudo pro ratione faciem hoſti opponit, & pro ratione non id facit ſed terga vertit fugâque ſibi proſpicit.

II. Probatur ex D. Auguſtino. Matth. 10. 23. D. Aug. Tract. 49. in Ioann. Tom. 9.

III. Quid ſit fortitudo.

Expendit D. Chryſoſt. titulum, quem Dauid præfixit Pſalmo 3. *Pſalmus Dauid cum fugeret à facie Abſalon filij ſui.* q. d. Hic Pſalmus compoſitus eſt, vt cum Dauid caneret fugiens Abſalonem filium ſuum: quid eſt hoc? quærit Diuus Chryſoſtomus victoribus eriguntur ſtatuæ in honorem victoriæ quatenus in illis & per illas memoriam ſuam tradant æternitati. Ducibus in acie victoribus vel hoſtem ſuperantibus, vel prælìando fortiter cæſis componuntur hymni; cantica, & verſus: cæterum fugitiuis nemo cantat epinicion: nemo Pſalmum componit nec laudes celebrat, eſſet etenim eius celebrare ignauiam, & ſpecies eſſe videretur opprobrij: an ergo ô Dauid tuam celebras fugam, & optas vt hymnus & Pſalmus perpetuò decantetur vt per omnia ſæcula tua fuga celebretur? Pſalmus canticum eſt quod voce fit & inſtrumento muſico; an ergo deſideras tam ſolemni ritu fugam tuam celebrari: vt illa & voce cantetur & muſicis laudetur inſtrumentis? parum noſti & ignarus es, qui talia proponis inquit D. Chryſoſt.

IV. Dauid cur fugã ſuam decantet.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

V.
Eius fortitudo & prudentia in fugiendo.

Fugæ ſuæ compoſuit Dauid Pſalmum, iubetque decantari, & celebrari ſolemniter, etenim non hæc eius eſt imputanda vecordiæ, non inertiæ, ſed actui fortitudinis, qualem vix egit magnanimiorem, exercitum ſuum conſiderat elumbum, & languidum: filij ſui copias conſiderat potentiores: quod ſi obſiſtat illi, & negotium gladio committat: nihil aliud ex hoc ſperádum, quam vt exercitum ſuum exponat cladi manifeſtæ, & internecioni: filius autem eius maioris inde ſumet faſtus occaſionem: quod ſi verò ipſe ſuperior euaderet, quinam vincerentur? quinam cæderentur? quinam caperentur? niſi proprius filius, ſubditi, & famuli ſui: quod ſi vero paulullum ſecederet, & fuga ſibi conſuleret, debito modo omnia componerentur; ex quibus euentus ſperaretur optatiſſimus. Hæc itaque laudanda eſt Dauidis fortitudo: quod ſe à furore ſuo vinci minimè patiatur: non ab ira ſuperari: non à paſſione ſua dirigi: ſed omnia ſic ex ratione diſponat, & prudenter pauliſper ſecedat & alias virili impetat fortitudine.

☞ 1,
VI.
Iræ cedendum eſt.
Ro.12.9.

Iuxta hanc doctrinam intelligi poteſt illud Apoſtoli conſilium: *Non vos defendentes Chariſſimi: ſed date locum iræ.* Si quando quiſquam tibi ſtomachatur: Iræ illius locum tribue, ſecede, vt tranſeat; quod eſt ac ſi diceret: *Iter facite ei vt tranſeat.* An ignoras, iram ignem eſſe? ſi coneris ignem detinere, illique reſiſtere, nec reſpirationem tribuas, qua tranſeat, turris integra in aëra eleuabitur, & æreum diſſipabitur tormentum. Equus eſt effrænis qui toto præceps fertur impetu, cui ſi te medium opponas: te conculcabit, licet ſibi crura defringat. Indignatur vementer Dauidi Saul, opponit ſe illi filius Ionathas quo patrem cohibeat: quid Saul? lanceam arripit, in illum dirigit, & toto conatur impetu eum cum pariete transfodere. Patere, vt ira tranſeat, & cholera deferueat & hic ignis curſum ſuum perficiat. Tu ad latus ſecede, cum Dauid; *Donec tranſeat iniquitas.*

VII.
Similitudo.

*In illud Gen.27*
VIII.
Prudẽs Rebeccæ cõſilium de fuga.
*Gen.27 43.*

Ex his ſumpſit argumentum D. Chryſoſt. quo verba declarat, quibus Rebecca filium ſuum Iacob alloquebatur: *Conſurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran; habitabiſque cum eo dies paucos, donec requieſcat furor fratris tui, & ceſſet indignatio eius obliuiſcaturque eorum, quæ feciſti in eum; poſtea mittam, & adducam te huc.* Feruenti nimis bilẽ incandeſcebat Eſau in fratrem ſuum Iacob: proteſtatus quod vindictam ſumeret de illata ſibi ab eo iniuria: vt autem paſſioni ſuæ ſatisfaceret, anſam inueſtigat & opportunitatem, quâ fratrem poſſit enecare, intelligit hoc Rebecca, nuntiatque Iacob remedium illi proponens, quô ſe manibus Eſau eripiat incolumem. Ad hoc concludit vt tellus interponatur, & Iacob in domum Laban atque regionem Haran proficiſcatur: ſperans quod ex abſentia, & temporis interlapſu calidus nimis ſanguis refrigeſceret, indignatio tepeſceret: quodque tunc in domum poſſit patris ſecurus denuo remeare: ſic vt frater ad optatam non perueniat intentionem. Sic igitur D. Chryſoſtom. optimè egit Iacob, & prudenter conſuluit Rebecca, d[illegible]m filium longiùs abeſſe decernit: *Quia ſeparatio & temporis proceſſus poterit mitigare iram & ſuitro inducere obliuionem afferre eorum quæ in furto benedictionis geſta ſunt.* D.C[illegible]

IX.
Sapientiſſimum Ezechiæ ſilentium.
D. Hier. L.11. in c. 36. Iſai. Tom. 5.
*Eccl.* 8.13.

Ex his ponderat D. Hieronym. Regis Ezechiæ prudentiam: dum enim Tyrannus ille Rabſaces exercituum Regis Aſſyriorum Dux generalis corona cinxiſſet militari vrbem Ieruſalem, mille cæpit opprobrijs & calumnijs contra Regem Ezechiam debacchari, nobiles illius atque vrbem grauiſſimis angere terriculamentis. Quid Ezechias? præcipit omnibus ſilentium, neminemque vult tantis reſponſum dare calumnijs. Secutus eſt illud Spiritus S. conſilium (inquit D. Hieronym.) *Non incendas carbones peccatorum.* Quando iam carbo ex nimio feruore igneſcit, ne ſufflaueris: etenim illum vehementius accendes, emittetque ſcintillas quibus te lædat: ab eo diſcede: paulatim enim cinere coopertus, ignis caliorque conſumetur & extinguetur: igneſcebat impius Rabſaces, vt carbo bile nimia & tumore feruens: quod ſi reſponderetur illi, blaſphemiarum in Deum, templum eius, in Regem Ezechiam, eiuſque ciuitatem, ſcintillas euomeret ardentiores; *Ideo cuncta agens fideliter uniuerſaque conſilio iuſſit non reſpondere; ne eum ad maiores blaſphemias prouocaret.*

X.
De hoc quoque commendatur Dauid.
*Pſ.* 38.3.
*Pſ.* 4.54.

Quinimo hoc ipſum fecit Dauid (inquit D. Hieronym) dum in eum nequiſſimus ille verbero inſurrexit Semei; non enim iudicauit tempus reſpondendi opportunum: ne peior euaderet ſed hoc egit, linguam ſuam compreſſit, os occluſit, fluit, & locum dedit iræ: *Cum conſiſteret peccator aduerſum me obmutui, & ſilui à bonis. Ecce elongaui fugiens & manſi in ſolitudine.* Notandum illud, *Ecce*, quod ponit vt illum attendamus qualiter fugiat, vt nec mutiat, & ſeſe ſubducat, nec vnicum proferens verbum: vir adeo robuſtus, vt leones diſcerpat, vrſos præfocet, vt proſternat gigantes, integros fundat exercitus; & ea quidem occaſione, qua nebulo quidam

dam illum contumelijs & dicterijs inhonorat. An credideris actum eſſe fortitudinis, te ſemper aduerſarium obſtare aduerſario? & dum tibi ô mattona maritus verbum obijcit hoc aſperius,

XI. Infirmitas eſt iniurias vlciſci.

& illi alterum obijcere? quando quis alius tibi irrogat iniuriam illicò manus injicere? hæc non eſt cenſenda fortitudo, ſed puſillanimitas, quâ tibi vires non ſunt, quibus tuam euincas choleram, tuam refrænes indignationem, tuam cohibeas linguam: etenim ſæpe numero audiendus tibi eſſet vates Iſaias præmonens: *In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra.*

*Iſai.30.15*

Non in factionibus, in opprobrijs, in contumelijs, in terriculamentis, in ſtringendo gladium, in laxando tormenti bellici rotas, adeo vecors es & elumbus vt vna te proſternat minima bilis, & te ventus rapiat verbi alicuius, quod alius tibi dixit inſtar pulueris petulantis, infirmitas eſt hæc, defectuſque virtutis. Laborat alter periculoſa febri phræneticus, mentis inops, & corporis viribus ſic deſtitutus, vt dicat medicus: aperire venam illi non præſumerem: replicas: qua ratione vires amiſerit, ſi tanto ferueat calore, taleſque edat motus? imo eo ipſo: calor etenim febris adeo exæſtuat, vt ipſam naturam proſternat, eius vires opprimat vt reſiſtere non poſſit: proinde motus illi, quos calor excitat febris, ex naturæ prouenniunt infirmitate, cui vires ad illam euincendam non ſuppetant.

XII. Sācti prudenter fugā ſibi cōſuluerunt

Hanc doctrinam ſectati ſunt viri Sancti, aliquando fuga ſibi conſulendo & ſecedendo etiam in illis occaſionibus, in quibus agebatur de honore Dei: quia videbant tempus loquendi non eſſe opportunum. Sic fugit D. Athanaſius quem laudibus extollit Diuus Auguſtinus eadem causa:

*Epiſt.180. ad Honor.*

idque eo modo ſeſe occuluit, vt ſexennio ſolem non viderit in ciſterna concluſus, eius rei tantum conſcio monacho illi familiari: quo ad vitæ neceſſitatem vtebatur; in cuius fugæ ſuæ defenſionem pro more ſuo terſam valde conſcripſit Apologiam: *De fuga in perſecutione.* Idem fecit Diuus Cyprianus Tyrannorum declinans perſecutionem: cum autem Eccleſiaſtici quererentur quod ſe ſubduceret Epiſcopus, epiſtolam ſcripſit planè diuinam clero Romano qua eruditè probat nedum ſe in eo peccaſſe, aut fugam ſuam inertiæ adſcribendam, quinimo optime ſe feciſſe actumque exercuiſſe fortitudinis: etenim aduerti (reſpondet ille) me vincum ad choleram Tyrannos prouocare, qui viſo me contra oues meas acerbius irritabantur: indicaui verò, quòd earum quieti conſulerem, ſi me furori ſubducerem Tyrannorum. *Cum me clamore violento frequenter populus flagitaſſet* (omnium enim voces votaque me petebant:) *Non tam meam ſalutem quam quietem fratrum publicam cogitans interim ſeceſſi, ne per inuerecundam præſentiam noſtram ſeditio, quæ cęperat, plus prouocaretur.*

*Ep.15. ad Cler.Ro.*

D.Cypri. *L. de lap.*

Idem alio loco confirmat, multa S. Scripturæ loca perpendens, ſed potiſſimum illa vatis Iſaiæ verba: *Recedite, recedite, exite inde &c.* Similiter ex illa Apocalypſ. *Exite de ea populus meus, vt ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Vt iuſtam approbauit D. Hieron. D. Pauli primi Eremitæ fugam: feruente namque perſecutione ad deſerta transfugit, in quibus vitam traduxit ab omnibus incognitus: & congruenter expendit D. Aug. D. Pauli ſeceſſum, fugit enim Damaſcum, & per murum ſe dimiſit vitæ ſuæ proſpecturus: *In ſporta per murum demiſſus ſum.*

*Iſai. 52.11 Apoc.8.4. In vita Pauli Eremitæ.*

*L. 2. cōtra Fauſt.c.36 Tom.6. Act. 9 25.*

XIII. Imo Chriſtus de hoc exēplum dedit.

Tandem Chriſtum proponit exemplar: cum enim eſſet, vt erat, cœli fortitudo, hac tamen occaſione ſeceſſit, & latebrarum ſumpſit ſibi præſidium. Si Dux fortiſſimus vt prudentem iudicet fugam, quid mihi iudicandum? (quærit D. Auguſt.) *In omni re, quam geſſit vt homo, hominibus in ſe credituris præbebat exemplum: quia vnuſquiſque ſeruus Dei non peccat, ſi ſeceſſerit in alium locum videns furorem perſequentium ſe, aut quærentium in malum animam ſuam. Videretur ſeruus Dei peccare ſi faceret, niſi in faciendo Dominus præceſſiſſet. Fecit hoc ille Magiſter bonus, vt doceret, non quia timeret.*

D. Aug. *Tract. 15. in Ioann. Tom.9.*

Quibus autem occaſionibus fugiendum eſſet à rabie perſecutionis, non eſt huius loci, illas tractat D. Auguſt. modo ſufficiat quidquam dixiſſe in commune.

*Epiſt.180. ad Honor.*

## §.6 *Chriſtus pericula formidat, vt nos in illis reddat formidoloſos, eaq; fugiamus.*

16

Tertiam & primariam rationem, cur Chriſtus ſecedat profert D. Auguſtin. vt nos doceret timere, & fugere pericula, atque oſtenderet: quod ſi ille, qui in manu ſua cunctorum habet diſpoſitionem, & humanam infirmitatem diuina fortitudine roboratam, ea fugiat: quid nobis agendum: cum illam habeamus ſic omni robore deſtitutam, & nulla ſecuritate roboratam? *Quando latuit vt homo, non potentiam perdidiſſe putandus eſt, ſed exemplum infirmitati tribuiſſe.* His appoſitè elegantiſſimè diſcurrit & mirabile quoddam ſupponit documentum, ſcilicet: quotieſcumque moraliter timeri poſſunt damna, & manifeſtum initat periculum, hoc tibi faciendum incumbit: ſecede, & noli ex-

D. Aug. *Tra 28. in Ioannem. Tom.9.*

I. Quando quis poteſt, tenetur fugere pericula.

ſpectare

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſpectare miracula confidens: quod Deus ab illis te liberabit: etenim ſi teipſum ab euidenti poſſes eripere periculo, fuga tibi conſulendo, nihilominus te velles illi opponere, & periculo exponere, diuino confidens præſidio, Deum tentares, & magis præſumptioni, ac temeritati adſcriberetur, quàm fiduciæ. Ad huius declarationem, doctrinam inſinuat altiſſimam, quam poſtmodum data opera enucleauit D. Thomas, quæ, licet profundam ſapiat Theologiam eam tamen conuenit cunctis intelligere.

1.p.q. 23. a.6.

II. Deus per ſuam determinationem non tollit homini libertatẽ.

Quotieſcunque Deus aliquid circa homines abſolutè determinat cum ſint agentia libera, per illud ſuum abſolutum decretum, non eis adimit libertatem: proinde licet aliquid per eum circa hominem ſit determinatum, poteſt abſolutè loquendo non eſſe, licet futurum ſit: quia decretum diuinum ſiquidem inducat infallibilitatem & certitudinem in ipſo effectu: tamen nec atomum adimit libertati aut cogit voluntatem: quocirca ita liber remanet homo abſolutè loquendo, quando Deus decernit & determinat aliquid circa ipſum, quaſi non determinaret. Prædeſtinat me Deus, & decernit me fore ſaluandum: certum eſt, quod ſaluabor; porro relinquit me & remaneo ita liber, vt abſolutè, ſi voluero, me poſſim damnare: vnde eſt hæc Catholica propoſitio, quod aliquis, qui prædeſtinatus eſt,

III. Quia poteſt abſolutè ſic non eſſe.

licet non ſit condemnandus, realiter tamen poteſt damnari: & alius reprobatus, licet ſicut Antichriſtus, quamuis non ſaluabitur, ſaluari tamen poteſt: quia diuinæ decretum prædeſtinationis vel reprobationis, ſicut non inducit neceſſitatem, ſic nec aufert libertatem: quinimò abſolutè loquendo: potentiam relinquit plenam ad contrarium eius, quod decretum eſt. Determinauit Deus, verbo mihi promiſit, ſcedulam conſcripſit annorum ſeptuaginta: extra controuerſiam eſt: quod quandoquidem illud ipſe decreuerit, ita futurum ſit: vt ego ante præfixum terminum non ſim moriturus: nihilominus poteſt eſſe contrarium: quia mihi libertatem non adimit, quo minus me hodie poſſim in puteum injicere, vel deorſum præcipitare, vel gladio transfodere.

IV. Etiã ſuppoſitã reuelatione Dei, tenetur fugere pericula.

Hinc collige cum D. Auguſt. quòd quamuis Deus ſuam alicui reuelet prædeſtinationem, vel vitæ terminum, periculum tamen poteſt incurrere damnationis, vel citiùs moriendi: & obligatur fugere pericula: non quia condemnabitur, vel citius morietur, ſed quia ſic eſſe poteſt, & hoc quidem ita ſincerè, vt qui diuinum attendens promiſſum, periculum nollet vitare, cum poſſet, manifeſtum: ſed illi ſe committeret, non confidens, ſed præſumptuoſus, Deique tentator accuſaretur. Hinc (inquit D. Auguſt.) inuenies viros Sanctos, multoties timere, & pericula fugere, aliqui licet eorum diuinam habeant promiſſionem, quòd liberi futuri ſint, & hoc tanto animo, quaſi hanc minimè obtinuiſſent, quia, quamuis ex vna parte illos de ſucceſſu reddat ſecuros, ex altera tamen ingerit formidinem videre, quòd abſolutè illud poſſit non eſſe.

V. Probatur ex Iacob & Rebecca.

Ita quis videt Iacob, cui Deus expreſsè decreuerat matrique promiſerat, quòd quamuis eſſet natu ſecundus, futurus tamen eſſet natu maior, & paternæ familiæ Dominus quod nihilominus fratri ſuo primogenito in eum inſurgente, fugit, timet, & occidi formidat: cui mater fugam conſulit, & ab omni periculo ſecuritatem, atque vt in terram proficiſcatur Meſopotamiæ. Quid hoc Domina, an ignoras Iacob ſuperuicturum, & familiæ tuæ virique tui fore ſucceſſorem, cuius rei à Deo ſcedulam accepiſti expreſſa eius reuelatione firmatam? an forſitan ſuſpicaris diuinam poſſe mentiri determinationem? hoc vnum ſcio, ait illa: quod licet Deus hoc decreuerit, & proinde certus futurus ſit rei ſucceſſus, porro abſolutè poteſt non eſſe, & hoc ſufficit, vt ego timere tenear pericula, & laborare, vt ea præueniantur, & vitentur, ac ſi tale decretum non eſſet: eſſetque tentare Deum, velle Iacob pedem figere, & perſecutionem Eſau fratris nolle declinare cum poſſet fugere ſibique conſulere, diuinæ huic fretum ſponſioni.

VI. Confirmatur in Dauid.

Contemplare Dauid, cui Deus diuturniorem quam Saul vitam addixerat, in cuius pariter regnum eſſet ſucceſſurus, quodque illud ſibi, & poſteris ſuis foret ſtabiliendum: nihilominus illum licet intueri, ita ſibi cauentem, ne manibus Saulis occidatur, ſic vt cordi nihil magis habeat, quàm fugam inire, vitam ſuam certam tectamque ſeruare, ſeſe ſubducens, ſeſe abſcondens: cumque Saul apparitores mitteret illum apprehenſuros, per feneſtram, quaſi paſſerculus, aufugit, ſtratagemata componit quibus ſibi conſulat, & nunquam ſe omnino tutum arbitratur. Quid hoc rei Dauid? quem times? numquid expreſſam habes promiſſionem, Deique verbum: quòd nedum tibi vitam non ſit Saul ablaturus: verùm quòd & illi ſucceſſurus ſis in domum & Regnum, & tu tuaque poſteritas? an forſitan diuini verbi in dubium reuoces veritatem: an vnica Dei clara & expreſſa tibi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tibi non ſufficit promiſſio, qua tibi cor reddat ſecurum? vtique & plus quam ſatis: veruntamen licet hæc me certiorem reddat futurum id, quod mihi promiſit: angit tamen me vehementer, quod ſciam, contrarium abſolutè poſſe fieri ob libertatem, in qua nos relinquit, & hæc me obligat, vt me ſubducam, abſcondam, mihi caueam, quæram latebras.

☞ 17

VII. Pariter & in D. Paulo.

Hoc idem (inquit D. Auguſt.) conſiderare licet in Apoſtolo Paulo: cum enim Damaſci moras traheret, ipſe autem vrbis gubernator ſollicitè quæreret eum capiendum: voluit vt in ſporta à fratribus per murum demitteretur, ſicque mortis periculum fugiens euaderet. Quid hoc Chriſti Apoſtole? numquid non tibi Deus aſſeruit eundem tibi in Ieruſalem, nec mortis tuæ tempus adueniſſe præfinitum? an forſitan Damaſci præpoſitus diuina poterit decreta & abſolutas euertere diſpoſitiones? numquid non Deus omnem nobis pollicetur ſecuritatem verbis illis Iſaiæ: *Viue ego, dicit Dominus: quia omnis voluntas mea fiet.* (Iſa. 46. 10.) His Deus querelis in populum ſuum commouebatur captiuum in Babylonia: cum enim illis ſpopondiſſet, quòd eos de duriſſima illa erepturus eſſet ſeruitute, non illi fidebant, nec ſe ſecuros arbitrabantur: quocirca cum illis denuo manifeſtaſſet decretum, ſuamque determinationem eos liberandi: vt eorum redargueret diffidentiam, decreuit per Prophetam Ezechielem illam viſionem de oſſibus aridis (Ezech. c. 36. & 37.) vulgò notiſſimam, etenim vnico flatu dedit illis ſpiritum & vitam: quatenus per hoc intelligerent, quàm Deo facile eſſet ſtare promiſſis ſuis, ſuaque decreta perficere, tunc ergo Dei Apoſtole incredulis illis annumerandus? certè minimè: quinimo nihil ita redarguit Apoſtolus in Iudæis quàm eorum incredulitatem, quoad diuina promiſſa, prout patet in Epiſtola ad Hebræos. Porro ſciebat Apoſtolus (vt credit D. Auguſtin.) quòd quamuis eum diuinæ promiſſionis verbique ſucceſſus redderet indubium: illa tamen non tolleret quin abſolutè poſſet eſſe contrarium, eaque de cauſa ſic angitur, ſibi cauet, & conatur ſe ſaluum reddere, & incolumem, quaſi tale decretum non eſſet: & ſi ex parte ſua non faceret, quod poſſet, non vt confidens laudaretur, ſed vt temerarius, Deique tentator argueretur: (D. Augu.) *Non deſperauerat Apoſtolus Paulus adiutorium, protectionemque diuinam, fidemque perdiderat, quando per murum in ſporta ſubmiſſus eſt vt inimicorum manus effugeret: non enim in Deum non credendo ſic fugit. Sed Deum tentando fugere noluiſſet cum ſic fugere potuiſſet.*

VIII. Sed hos omnes præcedit Chriſtus Dominus noſter.

Hanc nos optimè docuit (teſte D. Auguſtin.) doctrinam cœleſtis noſter Magiſter: dum etenim illi diabolus obijcit, vt ſeipſum de pinna templi deorſum in caſum præcipitet: atque ad hoc decretum illi proponit diuinum à Dauide conſcriptum: *Angelis ſuis Deus mandauit de te:* (Pſ. 90. 11.) receſſit Dominus, & alio reſpondit illi Dei decreto: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* (Matt. 4. 7.) Chriſtus periculum declinauit, quod incurreret ſi ſeipſum præcipitaret: ſi namque cum poſſet ſe per planum iter ab eo eripere, vellet ſe illi ingerere, non Deo confideret, ſed tentaret, illius diuini decreti tranſgreſſor: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Imo clariùs hodie (inquit) nobis hoc proponit, cum enim diuinum ſciret, abſolutum decretum, quòd eum Iudæi tunc temporis non eſſent occiſuri, donec hora diuina ſua præſtituta voluntate adueniſſet; cumque diuina polleret potentia ad agenda quælibet; fugit tamen, & periculum vitat, etenim abſolutè conſiderata humana infirmitate, eſſe poterat illud, quod formidat; *Qui ergo* (inquit D. Auguſt. cuius verba D. Thomas expendit) (2. 2. q. 97. a. 1. D. Aug.) *Palam docendo, & arguendo & tamen inimicorum rabiem in ſe valere aliquid non ſinendo, hominis inſtruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, vt, quod cauerere oportet, euadat.*

IX. Quanto magis nobis pericula fugienda.

Si ergo illi, qui Dei promiſſa habent ſe non perituros, ſibi tamen conſulunt anxij, & fugiunt pericula, non quia damnum futurum eſt, ſed quia eſſe poteſt; vos qui tales non habetis promiſſiones, nec Dei ſcedulas, nec diuinæ eius ſecuritatem promiſſionis, quàm conuenit eſſe formidoloſos, quantumue expedit vobis timere pericula, & quanta par eſt, vos ea vitare diligentia?

X. D. Paul. timet reprobari, licet prædeſtinatus.

Si conſideres Apoſtolum Paulum reuelatione accepta ſuæ prædeſtinationis, & coronæ gloriæ ſuæ ipſo cœlo terraque ſecuriori, quandoquidem illam diuinum illi promiſſum addixerat, quod fallere non poteſt, timentem, & plurima tortum anxietate, ne diabolus eum proſternat: cui vt præconſulat, carnem ſuam mortificat, & in ſeruitutem redigit: *Ne* (vt inquit) *reprobus efficiar;* (1. ad Cor. 9. 27.) timore & pauore exagitatus comparendi ſtrictiſſimo Dei tribunali: *Non in hoc iuſtificatus ſum, qui autem iudicat me, Dominus eſt:* (1. ad Cor. 4. 4.) quanta vos decet anxietate torqueri, quo timore, qua ſollicitudine, vos ſubducere debetis periculis, declinare occaſiones, illudque audire menteque retinere, quod ipſe vobis Paulus toties ingeminat: *Cum metu & tremore veſtram*

*ſalutem*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Ad Phil. 2.12.* ☞ 18. *ſalutem operamini*? fieri ne poteſt vt ille qui diuinum habet promiſſum, & omnimodè eſt ſecurus, non ſe ſecurum fidat attenta humana infirmitate, & fugiat, & oculis ſuis præcaueat, linguæ timeat, guſtui cæteriſque rebus; tu verò quem Deus ſuis percellit terriculamenti: te ſic imprudenter & temerariè periculo exponas, eoque tendas, vbi frequentes ſunt murmurationes, & luſus ædes illius frequentes, & alterius conſpectum? Iob diuino ſuffragio iuſtus approbatus ſimplex, rectus, amicus, Deo fidelis, tanta viuit formidine turbatus, vt nè fortè labatur, oculos ſuos obuelet ne mulierem inſpiciat alienam: *Pepigi fœdus cũ oculis meis, vt ne cogitarẽ quidem de virgine.* Tu autem, cui pectus inſtar fornacis ardet concupiſcentiâ & ad Choræas feſtinas adeo temerarius in quibus ſic abſque omni formidine mulierum manus contrectantur, vt ſpectantibus ſit ſcandalum, & obambulas mommiis, ſeu laruis indutus, vel aliquando apertâ facie oculos tuos huius vel illius vultus paſcens elegantiâ!

XI. Iob, ne peccet pangit fœdus cũ oculis *Iob. 31. 1.*

XII. Arguuntur qui temerariè ſe ingerũt occaſionibus.

Ex his temeraria damnatur eorum præſumptio, qui ſe periculis exponunt: vt ſecum ducant quoſdam choragos valde in hac regione frequẽtes, & lubricos in quibus tanta offertur occaſio virorum ac mulierum amplexuum, manuumque contactuum, vt excuſare nequeam illos à graui peccato, ſaltem ob eminentiſſimum periculum. D. Hieronym. opinatur, quòd excuſari non poſſint, & veſtra deridet propoſita, quibus prætenditis, quòd nullum ſitis conſenſum præbituri, nec cogitationibus, nec moribus inhoneſtis; quódque diuinum vobis ſperetis adfore ſubſidium: cum vos ipſi animam veſtram adeo manifeſto exponatis diſcrimini. Pro huius confirmatione perpendit illa verba Pauli: *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Hoc viro conuenit, hoc eius ſaluam ſeruabit virtutem, ſi mulierẽ nõ tetigerit non ait (inquit D. Hier.) bonũ cum muliere inhoneſtè non agere ſed illam non tangere: nouerat enim Apoſtolus, quantum contactus ille ſecum inuoluat periculi, & quòd ſero valde ſaluus euadat, qui manu mulierem arripit, eique colludit. *Non tangere dixit quaſi in tactu periculum ſit, quaſi qui illam tetigerit non euadit, quæ virorum pretioſas animas capiat, quæ facit adoleſcentium euolare corda.* Confirmat idem hac Spiritus S. ſententia. *Alligabit quis ignem in ſinu ſuo, & non comburetur, aut ambulabit ſuper carbones quis & non ardebit? quomodo igitur qui ignem tetigerit, ſtatim aduritur ita virum tactus feminæ.* Optimè nouerat hoc exemplar pudicitiæ Ioſeph (vt ait D. Hieron.) cum enim à domina ſua ad contactum pelliceretur, ſic ab ea fugit, quaſi ſerpens ipſa fuiſſet adeo mortifera quæ à Spiritu S. vocatur: *Dipſas ſerpens flatu adurens*, & quaſi canem vidiſſet rabidum. *Noſter Ioſeph quia tangere eum volebat Ægyptia fugit è manibus eius, & quaſi ad morſum rabioſiſſimi canis, ne paulatim virus ſerperet, pallium, quod tetigerat, abiecit.* Idem aduertit D. Chryſoſt. trutinans quòd ab ea velut à lue contagioſa diffugerit quocirca (ait ille) pallium deſeruit quòd ipſa contigerat, arbitratus luem hanc velut peſtem eſſe periculoſam: ſi namque peſte infectus tibi pallium tetigerit, illud abiicis, veritus ne illo tibi damnum morſque inferatur: quàm ſecura eſt tibi ſtuppa inter ignũ flammas? an poſſibile eſt illam non exuri? notum igitur eſt axioma vulgare: mulier ignis eſt, vir palea & diabolus follis: proinde tua Deus exſibilat propoſita & promiſſa, quòd conſtans futurus ſis, viriliter tentationi reſiſtes, nullique culpæ conſenties. *Et erit fortitudo veſtra vt fauilla ſtuppæ. & opus veſtrum quaſi ſcintilla & ſuccendentur vtrumq; ſimul & non erit qui extinguat.* Quæ eſt fortitudo tua niſi ſtuppæ? quid ſũt iſti manuum contactus, confabulationes, comediæ, recreationes, illa opera veſtra, niſi ignis? quid inde futurum, niſi vt tu & illa vterque ſimul, in anima ſuccenſi pereatis? fugite fugite monet D. Cyprianus hoc etenim vobiſque perſuadete, vos vatem Iſaiam alloqui: dum ſic inclamat. *Recedite recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, &c.*

*L. 1. cõtra Iouin. an. 1 Tom. 2.*

*1 Cor. 1.*

XIII. Feminæ contactus vitandus quaſi peſtiſ. e

*Pro. 6. 17.*

XIV. Exemplo Ioſeph.

*Deu. 8. 15.*

*Iſa. 1. 15.*

*L. de lapſis.*

*Iſa. 2. 11.*

## §. 7. *Tenetur homo vitare pericula ſibique cauere, ne vitæ fiduciâ decipiatur.*

19. ☞ I. Argumẽtatur ad hominẽ.

CLariùs explico difficultatem: viri prudentiâ inſignes nedum formidant, quando damnum eſt certum: ſed etiam quando illius imminet periculum, & eſſe poteſt. Ingruit nox, occludis ianuas tuas, eaſque tibi reddis certiores, ad quid hoc? noſti quòd fures ſint acceſſuri? non noui: imo eſſe poteſt, quòd licet illæ patulæ ſint quaquauerſum, nullus domum tuam ingrediatur, ſed quia poteſt ſic eſſe. Iter agis tempore hybernali, & penulam tecum ſumis pluuialem, quæ ex ſe ampla eſt & grauis. Noſti forſitan certò pluuiam decidendam? nequaquam, hoc tamen ſcio, quòd eſſe poteſt, & fieret vt in aperto campo nulloque vmbraculo, tectum me comprehendat,

comprehendat, vbi & quando minus fuero ſollicitus. Scrinia tibi conquiris, in quibus tutioribus clauibus obſerata ſeruas tua monilia quare non illa relinquis deforis in aperto? numquid præuoſti fore rapiēda? haudquaquam: ſed huius adeſt periculum, & poteſt eſſe.

Si ignur vnicum, poteſt eſſe, te cogat, vt ſecutum te facias, & hæc à te pericula dimoueas: quinimo hoc ſolum obligarit Iacob, Dauid, Paulum, & alios, quos retulimus, non obſtante diuinâ promiſsione ſecuritatis, vt fugerent, agerentque quidquid poterant pro rei neceſſitate, & ipſa cæli fortitudo Chriſtus, ſolū ex vnico indicio & ſigno quo ſuſpicatur necem ſibi à Iudæis intentari, fugā ſibi conſulit, periculum præuenit quo vos doceat (interprete D. Aug.) vt

Tract. 28. in Ioan. Tom. 9. intelligatis, quòd ex eodem caſu, quo periculum poteſt damnumque euenire, teneamini vos protegere & periculū auertere, quà ratione à culpa liberaberis, dum ex vna parte prægrandem tuam cognoſcis infirmitatem & miſeriam, atque ex altera, te periculis adeo manifeſtis & euidentibus temerarium exponas? An poteſt eſſe, vt licet

II. Quanta poſſent euenire. mane de ſtrato ſurgas ſanus & incolumnis, veſperam non videas? ſimiliter quòd ſaluus cubitū diſcedens diem non videas orientem? An poteſt eſſe, vt te mors rapiat inopina? An poteſt eſſe vt deliciis tuis ad vomitū vacans diuina te manus cōprehendat, quę cunctas diſſicet delicias, qualis illa manus fuit, quam opiparè cœnanti miſit Regi Balthaſſar? an eſſe poteſt, vt dum vitam tibi & ſalutem credis robuſtiorem, atque poſteriora ſperes tempora, de cælo vox audiatur: qualis alteri facta eſt, qui animæ ſuæ applaudēs lætabatur, dum ſe diuitem & proſperâ cernit

Luc. 12. 20 fortunā gaudentem qua dicebatur: *Stulte hâc nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti cuius erunt?* hoc intellexit optimè, qui tuam cōnabatur altiori voce excitare ſomnolē-

Epheſ. 5. 15. tiam mentiſq. deſidiam, *Videte fratres quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes ſed vt ſapientes, redimentes tēpus: quoniā dies mali ſunt.* Attende quid agas, tibi proſpice, & occluſis oculis cæcáq; mente non ambules, perpēde qualiter feſtines mortalis miſerrime ad luſoriam tabernam; tu quoque ad Amaſiæ contuberniū, tu ſimiliter ad tuas feſtiuitates, tu pariter ad tuas properes inſolentias; etenim quaſi ſtulti (inquit ille) properatis; *Quaſi inſipientes.*

III. Iuuenis lubrici Sic alterū deſcribit ſacer eum mente captū vile ſcortū & impudicā ſectātem meretricem: illius etenim vultus allectus elegātiâ ad primū ab illa ſignū oſtenſum, illico illā inſequitur ſui parum cōpos. *Statim eam ſequitur.* Statim eā ſequitur, [descri-bitur per-ditio.] non ſe cōtinet, non attendit quo pergat, ſed extemplo ſtatim illā ſequitur. *Quaſi bos ductus ad* Prou. 7. *victimam & quaſi agnus laſciuiens & ignorans,* 22. *quod ad vincula ſtultus trahatur, velut ſi auis feſtinet ad laqueū, & neſcit quod de periculo animæ illius agitur.* Quot tales cōſpicimus in mundo qualis feſtinat infelix adoleſcens, quinimo aliquando cōputreſcens vetulus canuſq; capite ſuas ſectatus voluptates, & alterius puellæ affectu intoxicatus: & quàm velox accelerat ad eius ædes neſciens quò vadat, nullo timore anxius, nullos rationis ſine diſcurſu, ſine conſideratione vt bos tractus ad lanienā? noſti quò pergas? neſcis ſtulte (inquit ille) quòd ad laqueū feſtinet, velut paſſer, qui pipiendo conuolat ad virgulā in qua viſco innexus capiatur, & velut perdix, quæ volitādo & cantando ipſa alacris tēdit in laqueum. Non perpendit quòd animam ſuam æternæ damnationis, & mortis exponat periculo ſempiternæ, O chariſſime mi, (loquitur D. Serm. 156 Aug.) ſi hoc attentè cōſiderares, quod tibi Spiritus S. ſuggerit, quid ſit quod tanto exponas periculo: non ſolū ſalutē tuā, bona tua, honorē tuū, vitam tuam; ſed & ipſam animā tuam. *De periculo animæ tuæ.* Cōſidera, quòd non niſi vnā habeas: conſidera, quàm prudenter te monuerit ille, qui tibi dixit: *Quam commutationem dabit homo pro anima ſua.*

[de tēp. & 3 Tom. 10.]

[Matth. 16. 26.]

Perpēde cum D. Aug. quod tibi dixit Salomō, 20. ne tibi perſuaſeris, quod bona tua ſolùmodo cū ſcorto dilapides, ſed quod inſuper & animæ tuæ iacturā patiaris. *Scorti pretium vix eſt vnius panis: mulier autē viri pretioſam animam capit;* Prou. 6. 26. anima pretioſa: etenim earū minima cœlo terraq. pretioſior, & cunctis in hoc mundo viſibili creaturis multò præſtantior: ſi pretium eius ſcire deſideres, & valorem, inquit D. Petrus, hoc ſcito, quòd Deus in eius redemptionē ſanguinē ſuum dederit pretioſum, *Pretioſo ſanguine agni* 1. Pet. 1. *immaculati.* An indicas quidquam ipſo Dei ſan- 19. guine eſſe pretioſius? dedit pro illa quidquid habebat, Sanguinem ſuum vitā, animā corpus, imo ſeipſum. *Dedit ſemetipſum pro nobis.* An Tit. 2. 14. aliquid videtur tibi eſſe potiſ vita, anima atque ipſius Dei eſſentiâ æſtimabilius? hanc pro illa dedit, & illam conquiſiuit ſudoribus, anguſtijs, flagellis, ſpinis, clauis, crucisq; patibulo. An tua ſententia poteſt aliquid maioris valoris inueniri? nunquam, non tanti valent ipſi angeli, & omnes ſimul, quanti ſola tua anima; etenim

[IV. Animæ quanta dignitas.]

in

in confeſſo eſt, inquit Angelicus Doctor tantò alicui quidquam eſſe pretioſius, quantò conſtitit illi carius pluraq; eius gratia profudit. Quod inuenis, vel gratuitò tibi datur, magni facis, ſi bonum ſit: ſed multò amplius quod tibi multis opibus, magnoque ſtetit labore.

Quanti Rex gemmam æſtimaret, quam ſibi cordis ſui ſanguine conquiſiſſet? quanti ciuitatem illam, quam vt aſſequeretur, ſeſe flagellis expoſuit ignominioſis? pluris valent Angeli, Archangeli, & Seraphini multiſq; titulis ſunt anima tua ſuperiores: cæterùm in vno, & per vnum eſt anima tua vnica & ſola illis omnibus longè ſuperior: in eo quòd omnes illi nihilo Deo conſtiterunt, nec vt illos Deus ſibi lucraretur, laborauit, ſudauit, dolorē aliquem ſuſtinuit, nec quidquam ſiue paruū ſiue magnū tradidit: ſed pro anima tua tradidit quidquid habebat, omnem ſuum ſanguinem, ad vltimam vſq; guttam: omnes labores ſuos & cruciatus, vt nihil quod pati poſſet, aliud ſupereſſet: nec pars aliqua corporis ſui eſſet, quam non particularibus aſſlictam doloribus, traderet; vt illā ſibi lucraretur. *Et quia charè empti* (ſic loquitur Doct. Angel.) *ideo magis dilecti: ſicut mercator magis diligit res, quas carè emit.* *In c. 1. primæ Petri. Hom. 1 in Exod.*

*V. Adam Euæ carnem & oſſa nō autē animā dedit.*

Origenes vt illud exponeret: *Anima quæ egreſſæ ſunt de femore Iacob* iuxta lectionem Septuaginta perpendit, quòd *anima non egrediatur de femore viri ſed à Deo creetur.* Similiter conſiderat creationem Adæ, etenim creata iā muliere ſic ait. *Nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Sic eſt quod carnem illi dedit & oſſa: carnem ego illi de mea tribui & oſſa. *Sed vellem diceres mihi Adam. Si os de tuis oſſibus agnouiſti & carnem de tua carne ſenſiſti: cur nō intellexiſti etiam animā de tua anima proceſſiſſe? ſi enim omnia, quæ in te erant tradidiſti Cur non etiam anima.* Quidquid pertinet ad corpus dare potuit ſed non quod animam tangit. etenim ſolus Deus eam creat, & corpori iam diſpoſito & organizato infundit: ſic vt nullam habeat homo in eius creatione partem quamuis ille ſit, qui materiam adminiſtret, ex qua corpus efformatur, ea de cauſa tribuit Adam ad formationem Euæ os de oſſibus ſuis, & carnem de carne ſua, non tamen animam tribuit quam Deus creabit pro corpore, Euæ iam organizatæ, largire quantumlubet corporale, ſed animam pretioſam non illam tribuis ſi namque illam largitus fueris, quid tibi ſupereſt?

*D. Aug.* Ex his tuam collige nequitiam cum D. Aug. quitam vili pretio diſtrahis animam? *Quanta iniquitas, & quàm lugenda peruerſitas vt animam quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit luxu ſui quiſque propter vnius momenti delectationem diabolo vendat. Verè nimium plangenda, & miſeranda conditio eſt, vbi cito præterit quod delectat, & manet ſine fine quod cruciat,* &c. *Serm. 250 de temp. Tom. 10.* Cum igitur hoc ita ſit, ait Spiritus S. *Nunc ergo fili mi audi me, & attende verbū oris mei, ne abſtrahatur à vijs illius mens tua neque decipiaris ſemitis eius* Attende qua ratione viuas. *Prou. 7. 24 & 5*

Idem eſt, quod nobis dixit Apoſt. *Videte quomodo cautè ambuletis non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes.* Verum in quo petis vt oſtendamus, nos eſſe ſapientes? *redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* *Ephes 5. 15.* Tempus vendidiſti: nam vt mancipium diabolo, mundo, carnique deſeruiſti: illud ſtude conquirere, illud redime, vt anima tua proficiat, nec illi fidas; non eſt enim ſeruus illo doloſior, quique amplius ſtudeat Domino ſuo illudere, illumque fugere, quàm tempus. Hoc interpretor eum indicare his vobis: *quoniam dies mali ſunt.* in SS. literis malus aliquando ſignificat illuſorem, quodam loco Chriſtus diuitias appellat malas mammonam *iniquitatis*, diuitias iniquitatis, atque alio loco eaſdem vocat fallaces, vt notat D. Gregor. *Fallaces diuitias, deceptorias diuitias;* *Luc. 16. 9* hoc etenim mali habent inter alia huius vitæ diuitiæ, ait D. Greg. vt ſint fallaces, & quanto ſecurius tibi illas prætendis, tantò te doloſius decipiunt: ibi tibi periit nauis, alibi domus corruit, alio loco dum minus cogitas excidet tibi ſideralior teque deſeret paxillo nudiorem. *Hom. 15. in Euang. Matth. 13. 22.*

*VI. Infauſta Baltaſſari mors.*

Quantū conuicio meminit Apoſt. Paul. hiſtor. Baltaſſar: huic bellum mouerunt Medi & Perſæ: ipſe verò in Babylone ſecurus nihilque ſibi timens, morabatur, & quatenus oſtenderet non ſolum, non timere ſe inimicos, ſed eos exſibilare, cœnam illam inſtruxit opiparā, ad quā cunctos nobiliores ſibique familiares inuitauit, efficiens vt ſupra modum excelleret in ferculis, vino vaſis, eo vſque vt ſacra non vereretur vaſa polluere, quæ pater eius & auus Nabuchodunoſor attulerant templi Hieruſalem prædatores, huic totus innitebatur quòd ciuitatem ſuam crederet inexpugnabilem: eò quod ab impetuoſo cingeretur Euphrate; ipſe verò cunctos ſuſtuliſſet pontes per quos tranſire poſſet inimicus, videbat nullas hoſtibus eſſe ſcaphas, nulla nauiculas; deinde quòd vrbs illa præter

fluminis propugnaculum turribus eſſet muriſque præmunita; ita vt ſi tentarent inimici natando tranſuadare, nullo negotio aquis præfocarentur.

*Dan. 5. 25.*

Cum iam ſecurus conquieſceret, apparet ſcribens manus hæc verba. *Mane, Thecel, Phares*, id eſt numerus, pondus, diuiſio. Numerus, quia Deus, interprete Daniele dies tuos numerauit, & hic tibi lucet vltimus, etenim hac nocte tibi moriendum, nec ſolem videbis orientem. Pondus, appenſus es in ſtatêra, & inuentus es minus habens. Diuiſio, regnum tuum Medis Perſiſque diuidetur te circũuallantibus. Bone Deus, quãdo ſe Rex ſidebat tutiorem, & ſuis ſe poſle omni remota formidine, deliciis, cœniſque vacare, dies illi terminantur, numquam certior erat vitam ſuam eſſe optimè præmunitam, & ecce eum nox apprehendit vltima. Quomodo factum eſt hoc? refert D. Tho. miſſum à Deo ventum exiguum ſicut tempore diluuij, quò fluminis aquas exſiccauit, flatuq; totam illam conſumpſit aquarum congeriem, cui, vt maximis viribus ſuis confidebat, vnde pede ſicco ad ciuitatem accedere potuerunt inimici, ſicut de facto acceſſerunt ceperuntque ciuitatem.

*Opuſ. 20. l. 3. c. 7. de regim. princ.*

O Chriſtiane, quàm te ſecurum viribus tuis & tuâ credis adoleſcentiâ, O Matrona quàm te ſecuram corporis vultuſque arbitraris elegantiâ. O vir nobiliſſime, quàm iudicas tibi non timendum, cum tantâ ſeruorum, medicorum, & delitiarum turbâ muniaris, vt quaſi mortem irrideas, eiuſq; omnem procul à te memoriam abijcias, & quaſi pedibus tuis proſtratam aſperneris: nec non in longa tempora rationes tuas inſtituas, magnũ tibi annorum numerum credens ſupereſſe. Nunc dum minus hoc cogitas aduenire poteſt Dei flatus, febricula, tegula de tecto decidens & ſubitus in terram caſus opprimens inopinatum, time tibi proſpice, ſalua te, peccata fuge, & pericula, perpende dies eſſe fallaces, annos deceptorios, & quamuis tibi videatur quòd attenta tua corporis valetudine multi ſint: perpenſa tamen hominis infirmitate, nunc nunc inquam mori potes & perire in ſempiternum.

### §. 8. *Qui non fugit occaſiones tentat Deum ſecundum doctrinam S. Auguſtini, nec debet abſolui.*

21. I. Abſolui non debet qui proximã non deſerit peccati occaſionem.

IN hac doctrina fundatur illa ſapientium Theologorum dicentium: Confeſſarium non poſſe pænitentem abſoluere, quantumlibet ſe prodat contritum, qui proximam habet & paratam caſus occaſionem, nec illam efficaciter & in effectu, cum poſſit deſerit. Non debet ille abſolui qui domi ſuæ retinet eam, cum qua ſemel & bis, imo ſæpius Deum offendit, niſi illam expellat, quantumuis proponat & ſpondeat ad vomitum ſe minimè rediturum, quòdque ſuis fidat propoſitis, dicatque diuinum ſpero ſubſidium. Nec ille, qui ciſtis ſuis bona retinet aliena, & alias promiſit ſe reſtituturum, nec tamen reſtituit. Licet dicat, quòd domum rediens illa reſtituet: nec ille qui circumquaque non reſcindit ingreſſum in talem vel tamen domum, vbi moratur illa, quæ ſolet illi eſſe lapis offenſionis domum ingredienti cuius conſortio miſerabilius corruat, quam D. Petrus ad colloquium ancillæ, domum ingreſſus Pontificis quamuis mille verbis & iuramentis conſtantiam fidemque polliceatur.

*Lib. 22. contra Fauſt. Tom. 6.*

II Deus nõ eſt tentãdus.

Hanc dedit rationem D. Auguſt. doctrinâ quadam ſubtiliori, ſtatuens hanc propoſitionem, quandocumq. quis ſe poteſt à peccato liberare, fugiens occaſionem, vel illam deſerens, nec vult, ſed in illa permanet, dicendo: diuino confiſo ſubſidio: me Deus cuſtodiet. firma ſtatui propoſita indubiè ſeruanda tentat Deum, & ſine neceſſitate, ſine cauſa petit miracula: illa verò ſecluſa ratione à Deo petere, eſt tentare Deum, vt ipſe Dominus oſtendit in reſponſo dato Satanæ petenti, vt de pinna templi ſe præcipitaret Deo fiſus, quòd Angelos ſuos mitteret ſibi cuſtodes: ſic enim illi reſpondit: *Non tentabis Dominũ Deũ tuum* Hac doctrina reſpondet hæretico Manichæo Fauſto: pertinax hic errores defendebat Manicheorum, quorum vnus, & non minimus, hic erat, quòd veteris teſtamenti Deus malus eſſet ſimiliter, quos ipſe habebat ſibi amicos, eſſe nebulones: quia verò primus fuit Abraham, animo conatus eſt blaſphemo probare Abraham fuiſſe hominem peruerſum, malis imbutum moribus multiſque vitijs notatum reprehenſione digniſſimis ad huius confirmationem eius opera perpendit, atque incontinentiæ accuſat, quòd

*Matt. 4.*

III. Abrahã à Fauſto accuſatus ab Auguſtino in

duobus defenditur. *Lib. 22. contra Fauſtum à cap. 5. vſque ad 40.* Tom. 6. *Gen. 12. 21. & 20. 2.*

quòd propria non contentus vxore Sara, impudicè cum ancilla ſua Agar vixerit; deinde laboris & aduerſitatis fuerit impatiens: quando quidem fame vel minima vexatus terras petierit alienas Cui D. Auguſt. tanta reſpondet eruditione, vt clarè demonſtret, quod ea omnia quæ Fauſtus arguenda propoſuit, ipſe laudibus oſtendat extollenda virtutum opera. Hoc autem pertinaciùs in S. Patriarcham vrgebat hic hæreſiarcha, quòd nimirum meticuloſus eſſet nimis, inſuper & leno; quandoquidem vt vitæ ſuæ conſuleret, conſenſerit quantum erat ex parte ſua, vt vxor ſua viueret adultera. Perpende, inquit, hoc in duobus caſibus: diuertit quondam comite vxor ſua in Ægyptum: erat autem hæc feminis formâ ſuperior, vnde quam primùm Regis intrauit curiam, cœperunt eam multi Gyrouagi circumdare, velut apes mel obſident, retraxit eā Abraham atque illi: mi coniux amantiſſima meo iudicio quidem actum eſt de me: hic etenim populus, imò & ipſe Rex, quo te perfruantur, me trucidabunt, ſi vxorem meam te eſſe nouerint. Habebat populus hic adulterium vt peccatum omnium ſupremum, ipſoque homicidio deterius, in tantum, vt quicumque alterius vellet abuti vxore; hoc primùm agebat, vt maritum eius de medio tolleret, vt præteritis diebus oſtendimus. Ecce palam eſt (inquit Araham) quod eorum oculos tua offendat vultus elegantia, quocirca certa me mors manet, ſi me virum eſſe tuum illis innotuerit. Obſecro te, fictè procedamus & diſſimulanter, nec te meam vxorem dixeris ſed ſororem: poterat hoc meritò dicere: nam erat illi conſobrina, filia fratris ſui: & omnes eò tempore tales, fratres eſſe dicebantur. Ex inito igitur contractu Sara fatetur, quod vir ille ſibi frater eſſet & per hoc intellecta Rex eius pulchritudine, mandauit eam ad palatium deduci, ea intentione, vt ad illam accederet, quamuis hoc Deus impediuerit: hoc idem aliàs accidit in, Geraris vrbe terraque Palæſtinorum. Habes hic obiiciebat hæreticus, quod Abraham vxorem ſuam adulterio expoſuerit, quantum ex parte ſua fuit, vt vitam ſibi ſeruaret incolumem. *Vxorem proſtituendam tradidit, vt vitam ſeruaret.*

D. Augu: L. 22. c. 36. IV. Reſpondet D. Auguſt.

Reſpondet illi D. Auguſtinus fecit hoc Abraham pro vitæ ſuæ conſeruatione, Deo confidens, quòd vxorem ſuam ſeruaret inuiolatam: pariter tantùm pudicitiæ & virili illius tribuens fortitudini, quam in ea didicerat experientia, quod ſcilicet occaſionibus expoſita nulla laberetur infirmitate. *Vitæ ſuæ conſuluit, ne ſe occiſo ab alienis & impiis, illa captiua poſſideretur, certus de Deo ſuo, quod nihil eam turpe aut flagitioſum perpeti ſineret.*

& defendit Abraham. D. Augu. 22.

Replicat illi hæreticus, qui igitur fidebat, quod vxoris ſuæ inter impios & luxurioſos tutam ſeruaret honeſtatem, an non melius ſperaret quòd vitam ſuam ſeruaret incolumem, licet eam vxorem ſuam eſſe fateretur? *Cur non potius ita de Deo ſuo præſumpſit Abraham, vt fateri non timeret vxorem? numquid enim Deus ab illo mortem non poterat repellere, quam timebat, eumque cum coniuge ſua ab omni pernitie in illa peregrinatione tutari, vt nec vxor eius, quamuis eſſet pulcherrima, appeteretur ab aliquo, nec propter illam ipſe necaretur?* Cui D. Au. poterat quidem, verum tamen illi conueniebat vtrū diuinę ſoli committere prouidentiæ, & non alterū. Duo in hac occaſione periculo exponebātur; vnū erat propria vita, alterum vxoris pudicitia, hanc defendendi nullum ſciebat modum cum populo tradita eſſet & expoſita luxurioſo: niſi illam Deo committens & commendans. Vnde totum quod potuit fecit nempe de Deo præſumpſit, eamque diuinæ commendauit prouidentiæ: cæterū vitam ſuam poterat conſeruare, non expectans à Deo miraculū, ſi nempe, ſe maritum Saræ eſſe diſſimularet eius ſe vocās fratrē: proinde medium hoc ſumpſit, quod poterat aptius opponere ſi namq; hoc habens, & valens opponere quantū erat ex parte ſua, non tamē illo vellet vti, ſed ſperat quòd Deus illum miraculosè ſeruaret, & periculo eriperet: tentaſſet Deum, ille etenim, qui per media poteſt ordinaria ſe ab incommodo liberare, nec tamen hoc agit, ſed vult vt Deus eū liberet quaſi per miraculum, tentator Dei arguitur. *Si interrogatus Abraham illam feminam ſuam indicaret vxorem, duas res tutandas committeret Deo & ſuā vitam, & vxoris pudicitiā. Pertinet autē ad ſanam doctrinam, quando habet quod faciat homo non tentare Dominū Deum ſuum.* Ecce notabilem valde propoſitionem. *Secundum ſanam doctrinam* Quando quis poteſt aliquid facere, ne labatur, & non facit, cuncta diuino permittens auxilio, tentare dicitur Deū: quòd ſi tibi poſſis ſuccurrere, de domo exturbans eam, quæ te pellit in ruinam, & agere renuis: ſed Deo confidas te liberandum, tentator Dei eſſe conuinceris. Similiter tu, qui in tabernis luſoriis teipſum dilapidas ſi poſſis teipſum eripere illas non frequentando; tamen accedas diuino fretus auxilio, quo te ſperas

non peccaturum, te dicimus eſſe Dei tentatorem.

Quo tempore quis præ manibus habet remedium, ſibi aſſumat illud Deumque non tentet, hoc autem probat D. Aug. ex hodierno Euangelio *Neque & ipſe Saluator non poterat tueri Diſcipulos ſuos quibus tamen dixit; ſi vos perſecuti fuerint in vna ciuitate fugite in aliam Cuius rei prior exemplum præbuit nam cum poteſtatem haberet ponendi animam ſuam nec eam poneret niſi cum vellet, in Ægyptum tamen infans parentibus portantibus fugit, & diem feſtũ non euidenter, ſed latenter aſcendit, cum aliàs palam loqueretur Iudæis iraſcentibus & inimiciſſimo animo audientibus, &c* D. cito mihi, quare Chriſtus tentaſſet Deum ſi ſeipſũ de pinnaculo templi deorſum præcipitaſſet, hoc ab illo petente diabolo, fretus Angelico miniſterio ſibi à Deo mittẽdo, quorum manibus exciperetur, nullumq; damnũ incurreret? quia paratum habebat planum medium quo ſe poterat liberare: nempe ſi per gradus deſcenderet: & velle miraculum à Deo in eo quod quis poteſt per ſeipſum efficere, eſt tentare Deum.

D. Aug.
IV.
Chriſtus Deũ, noluit tentare.

V.
Conuerſatio cũ muliere periculoſiſsima.

Quæro igitur à te, an communẽ ignores doctrinam, quam fatentur prædicant, & proteſtãtur ſancti, miraculum cenſeri quod vir viuat & conuerſetur multo tempore: imo aliquãdo etiã vel parua mora, cum muliere & caſtitatis nõ incurrat iacturam vel eam periculo non exponat euidentiori? ait D. Bern. quod cum ſit Lazari reſuſcitatio inter cætera Domini miracula primicerium tamẽ illud multo cenſeret eminẽtius D. Chryſ. multoties proteſtatur quòd illud iudicet maius eſſe prodigium quã illud, quod de ſanctiſſimis illis ſcribitur adoleſcentibus, qui fornaci Babylonicæ ardentiſſimæ iniecti, tamẽ ab igne permanſerunt illæſi. An ignoras quam efficaces ſint flammæ libidinis, an neſcis quàm fortioribus quis accendatur viribus expoſitus occaſioni? perpendit D. Chryſ. facinus illud heroicum caſtiſsimi Ioſeph, quando ſtrictiſsimis arctatus angustiis cum Domina ſua, ab illa ad ſtuprum prouocatus, manſit tamen & egreſſus eſt ab omni peccato liberrimus. *Non tam admirabile, vt mihi videtur in fornace Babylonis eſſe tres pueros, & illæſos permanere, & nihil ab igne pati: vt admirabile hoc & rarum quod admirabilis ille iuuenis retineretur veſtimentis à polluta illa & laſciua nec tamen illi cedit.*

Hom. 44. in Gen. Tom. I.

VI.
Ioſeph a caſtitate laudatur.

☞ 23. Cæterum ne forte facinus hoc trahas in conſequentiam & dicas: ſicut ſe Ioſeph liberauit, ſic & ego me liberabo, & ſine offendiculo vel iactura euadam caſtitatis: notanda ſunt (ait D. Chryſ.) duo, Primum: Ioſeph nullum aliud ad manum erat remedium, quo ſe ab impudica tutius expediret mulieris ſocietate: non enim poterat ædibus effugere: quia ſeruus erat emptitius, nec illam poterat domo propellere, vtpote dominam: vnde diuino poterat fidere ſubſidio, ſeque diuinis iniicere brachiis pretegendum: quocirca ſubuenit illi Deus ſicut & pueris illis in Babylône, quibus nullum erat ignem fugiendi remedium, cui, Regis Nabuchodonoſor imperio, tradebantur exurendi, *Sicut autem & tres pueri illi propter virtutem ſuam diuinâ freti gratiâ, igne præſtantiores viſi ſunt, ita ille quia quod in ſe erat, afferebat, magno ſupernoque præſidio muniebatur.* Ponderandum hic venit illud: *quia quod in ſe erat afferebat.*

VII.
Ioſeph fecit quod potuit, vt ſe periculo eriperet, dũ fugit.

Inſuper in hoc ipſo caſu cum D. Chryſoſt. conſiderandũ, quod fugerit quantum potuerit licet, cũ tanto ſui honoris impendio, quo illum accuſârunt vt perfidum ſeruũ, & Domino Dominæque ſuæ infidelem, vtque talem ergaſtulis incluſerunt: & manibus Dominæ ſuæ proprium reliquit pallium: ſecum habere timens pallium quod mulier illa tetigerat: quaſi peſtis quædã fuiſſet quæ ſolo veſtis contactu contrahitur: quatenus hic pariter attendas, quam ex animo & ſincerè iuuenis hic puriſsimus periculum agnouerit cui exponebatur, nec maius eſſe miraculum cum vipera venenoſa morari, eamque inter manus arripere, nec tamen eius morderi dentibus, aut toxico inficí, quam cum muliere eſſe libera, cum qua & aliàs periculum incurrit caſtitas, nec tamen damnum incurrere, aut animum veneno deprauari: quandoquidem nec Adam in Paradiſo licet gratiã, ſapientiã, ſupernisque donis adeo ſuffultus, immunis euaſerit. Periculum non tulit Adæ ſanctitas ex ſerpentis aſtutia nam hic non eum decepit, vt ait Apoſtolus. *Adam non eſt ſeductus*, ſed ex muliere, quæ viro fuit ſerpens venenoſa: etenim illam ſibi diabolus aſſumpſit vt inſtrumentum, vt diebus præteritis explicauimus.

I. Tim. II. 14.

Mirabilis fuit ille caſus qui noſtro Apoſtolico viro contigit D. Vincentio Ferrarienſi, non abſimilis illi, quem de Ioſeph retulimus: ſicut enim illum aggreſſa eſt eius Domina vile proſtibulum, ſic virum noſtrum Apoſtolicum meretrix appetiit elegantiſsima in vrbe Valẽtia nomine Agnes Fernandi hæc etenim libidine feruens in virum ſanctum, laſciuæ ſuæ ſræna laxans

VIII.
Hiſtoria mirabilis de S. Vincen. Ferrarienſi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

laxans impudicitiæ, ſe finxit infirmam, & tantis animi deliquijs & paſſionibus laborantem, vt domeſtici peccatorum ſuaderent illi confeſſionem: ait illa, hoc mihi in votis eſt, quam maximè, eoque fine vocari iuſſit ſanctum Prædicatorem fratrem Vincentiũ Ferrarienſem, aduenit ille, atque ſolatur atque ad peragendam diſponit confeſſionem: illa vero ſuam incipit aperire concupiſcentiam, illum ad ſui pelliciẽs amorem eò vſque inhoneſta, vt illi corpus ſuũ diſcooperiret, quo virum Dei prouocaret ardentius, ille quamprimũ in fugam ſe proripuit, vſus remedio ſecuriori: meretrix ſe ſpendens contemptam, graui in illum ſubitò rabiè commouetur, cumque conatur denigrare, vocem attollendo, exclamando; frater ille mihi vim intulit, meque voluit illudere caſtitati: porro non hoc permiſit illi Deus, etenim cum primũ illam animo concepit calumniam, diabolus, qui iam eius poſsidebat animam, ex diuina diſpoſitione, corpus etiam poſſedit meretriculæ: ſic vt corpore & animâ à diabolo poſsiderentur, accurrerunt Sacerdotes & exorciſtæ profanam eiuraturi: tandem adhibita multa diligentiá, reſpondit diabolus: hinc non egrediar, niſi venerit mihi hoc præcipiens, qui in igne exiſtẽs, combuſtus non fuit; & hoc ad ſingulas reperebat coniurationes. Cum autem non intelligerent, de quo loqueretur omnes confuſione replebantur, Quis eſt iſte qui ab igne manſit illæſus? an iuuenes ſunt illi Babylonici? non ſunt, an S. Laurentius? non ille. Quis ergo? quærite illum, reuerſi fratrem illum adierunt caſtiſsimum, eum deprecantes quatenus infirmam illam inuiſerè dignaretur, ſuamque illi impertiri benedictionem: ille verò ne precatores offenderet, aut de præterito daret indicium, eò tetendit multis conſtipatus: quamprimum pedem intulit cubiculo, vociferari cœpit diabolus: hic eſt, ita hic eſt, qui ab igne manſit intactus, & in eius ego nequeo ſubſiſtere præſentia: quocirca de mulieris egreſſus corpore eam dimiſit liberam.

Si cum tali eſſe muliere, nec tamen caſtitatis pati iacturam, ſit ab igne flammiſque manere inuiolatum: dicito mihi, quod ſi teipſum fornaci velles iniicere Deo ſciens quòd te ſeruaret illæſum, an non hoc eſſet tentare Deũ, & nullâ vrgente neceſſitate poſcere miraculũ, & velle incendio conflagrari? igitur idem intellige, quando domum accedis mulieris illius, cuius conuerſatione tua ſolet perire pudicitia, & illam volens tecum retinere, quæ tibi quondam fuit offendiculo, nec nõ illius contubernio perfrui, cuius ex conſortio tibi periit anima.

Dignus eſt Auguſtini calamo diſcurſus ille, quem de hac materia compoſuit, & inſcripſit. *De incauta familiaritate extranearum mulierum.* Proponit hic quandam difficultatem, cum Apoſtolus Paulus nobis præcipiens, vt viriliter reſiſtamus tentationibus imò ipſi dæmoni, totique inferno: verumtamen agens de tentationibus impudicitiæ, nos hortetur ne reſiſtamus illis faciemque opponamus, ſed illi terga vertamus fugamque ineamus: *Fugite fornicationem*, audies, illum monentem, vt auaritiam conculces, iram refrænes, ſuperbiam collatis viribus impugnes, eam miſeriæ tuæ conſiderationibus deprimens: inuidiam de corde tuo propulſes, illud actibus aperiens charitatis: tandem D. Iacobi remedium contra diabolum hoc aſſignat? *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis*; nullo namque alio modo eum ſuperamus; Idem nobis ſuggeſſit cõſilium Apoſt. Petr. *Aduerſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens &c. Cui reſiſtite fortes in fide.* Nihilominus vnicum & efficaciſſimum vincendæ luxuriæ remedium ait eſſe ſuadetq; fugã occaſionum. *Fugite fornicationem. Quòd libidinem fugiendam eſſe ſuggerimus Apoſt. Paulus euidenter oſtendit, qui cum omnibus vitijs prædicauerit reſiſtendum dum contra libidinem loqueretur nõ dixit reſiſtite, ſed fugite fornicationẽ ac ſi contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debeamus in præſenti reſiſtere, libidinem verò fugiendo ſuperare.*

D. Aug. Serm. 250 de temp. Tom. 10.

IX. Aliis vitiis eſt reſiſtendum, ſed libido fugienda.

1. Cor. 6. 18

Iac. 4. 7.

1. Pet. 5. 9

Perpende, quale tibi Spiritus S. ſuadeat conſilium: *Virginẽ ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius.* Conſpectũ fuge mulierum alioquin offendes oculos, teq; perdes. Si dimouendi monẽtur oculi quãto magis ipſa perſona? Conſidera, qua ratione ſe Ioſeph liberauerit. *Beatus Ioſeph, vt impudicã dominã poſſet euadere palliũ quo apprehenſus fuerat reliquit & fugit. Sine vlla dubitatione, qui familiaritatẽ nõ vult vitare ſuſpectã cito dilabetur in ruinã.* Hinc illã ſtatuit propoſitionẽ, quã optarim omnes præ oculis haberent ſcriptã: *Inter omnia Chriſtianorũ certamina, ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria.* An ergo Chriſtiani duriora non ſuſtinent prælia, quæ cõprehendere poſſimus, cũ ipſa feritate tyrannorũ? hunc in campo ſtatuebant aſpidibus circũcinctũ, alium leonibus, alium craticulis exurebant, ignitis alium ſcuticis examinabant, alium gehennâ & trocleis extendebant, alium gladio, quem capiti ſuo videbat imminere, perterrebant.

X. Feminæ vitandus conſpectus.

Eccl. 9. 5.

XI. Caſtitatis prælia duriora ſunt.

O quam ſeuera fuêre bella D. Laurentij cum

tyranno

tyranno tigride ſæuiori? O quam dura fuère certamina D. Stephani cum lapidibus? O quam acerbi conflictus S. Ignatij cum leonibus dura ſunt hæc, fateor certamina: *duriora ſunt prælia caſtitatis*: etenim alijs prælijs nos ſolummodo deforis impugnant inimici. ſed in prælio caſtitatis illis ſe adiungit ſæuiſſimus noſter inimicus, quo nullū patimur acerbiorem in nobis ipſis, nimirum, carnis noſtræ concupiſcentia, hæc etenim exterioribus iuncta aduerſarijs acrioribus cor noſtrum impugnat aſſultibus:

☞ 24.
XII
Exemplū caſtitatis in adoleſcente.

Hinc refert D. Hier. hanc fuiſſe ſupremam tyrannorum manum qua per diabolum incitati Chriſtianos oppugnarunt ſcilicet, conſortiū mulierum, quod prœliū ſummopere illis perterruit & grauioribus expoſuit anguſtijs: quid agūt? animo fortiorem ad hortum deducunt, in molli lectulo floribus intexto declinant, ſericis ligant funibus, intrat mulier elegātia vultus amabilis iacentem complectitur, ligato blanditur, & proſtratum ad inhoneſtum prouocat amplexū: quid adoleſcenti hoc in certamine agendum? quærit D. Hier. quem enim tormenta non vincebant, delitijs conabantur eneruare: hoc autem accidit inquit, vt hoc periculoſo arctatus certamine, Deo inſpirante propriis ſibi dentibus linguam demorderit atque in meretricis faciem expuerit, quæ ad tantam illum irritarat impuditiam quatenus dolor ille & ipſum mortificaret, & ipſam ſanguis effuſus in fugam adigeret. *Tandem cælitus inſpiratus, præciſam morſu linguam in oſculantis ſe faciem expuit, ac ſic libidinis ſenſum ſuccidens, doloris magnitudo ſuperauit.* Hoc prælium ita exhorruit iuuenis ille pijſſimus Paulus, in tantum vt illud exſpectare non præſumeret: idcirco ſibi animum inducit, ad montes fugere, in quibus ſpeluncam inueniens in ea ſe conclusit, atque ad tantam quantam nouimus, aſcendit ſanctitatis eminentiam.

D. Hiero. in vita B. Pauli Eremitæ in princip. Tom. 1.

Lib. 1. de adorat. in ſpiritu.
XIII.
Quid ſignificet quod Deus ex coſta Adæ mulierē formauerit.

Aptè conuenit propoſitio noſtro D. Cyr. Aleād. expendit enim quod Deus ad mulieris primæ fabricam coſtam tulerit de Adam & ſuppoſnit quod ipſa natura & Deus vt eius auctor primarius videns cor eſſe vitæ principium eiusq; ſuper omnia neceſſariam eſſe conſeruationem, primo inuoluit illud reticulo velut pergameno quod dicitur Pericardium: ſed quia tam debile eſt, vt qualibet acicula penetrari poſſit, ſtatuit illi, & cor cooperuit coſtis velut quibuſdā propugnaculis, & loricis quibus & cuſtodiatur, & protegatur hoc cōceſſo, quid cogitas, inquit ſanctus, hic hoc ſignificauit, quod Deus coſtam hanc abſtulerit, quæ cordi propugnaculum erat & tutela, vt ex illa formaret mulierem, niſi quo tibi declaret, quòd hominis cordi in ordine ad mulierem tutela deficiat & protectio, ſitque diſcoopertum, quod ſi vel aliquod habeat ſepimentum, ſolum eſt reticulum Pericardij; quod vno flatu accenditur, & aciculā transfoditur.

XIV.
Diabolus Iob vxore, vt armis fortiſsimis, oppugnauit

Ex prædictis colligit D. Chryſ. fortiora, quibus à diabolo impugnamur, arma eſſe mulieres: etenim nouit quod earum interuentu cor inueniat quaſi deiecto muro propatulum, ita egit cum Adam, ſimiliter cum Iob, quando truciori illum aggreſſus eſt prælio: nam primò facultates illi deripuit, deinde filios, exinde ſalutem, vt in ſterquilinio locum ſibi conquireret: & ſemper cor illius vt militis fortiſsimi præmunitum inueniens, quò cunctos illius fortiter impetus retūdebat: illi bellum inferre proponit per vxorem eius, & per ipſam, ac cum ipſa virū impugnat: etenim illam marito proponit caſum illius & infortuniū deplorantem (ſic enim textus habet Græcus, quem ſequuntur & expendunt Græci Patres) quaſi qui ſciret, quòd lacrymis, ſuſpirijs & mulieris eiulatibus nullum viri cor poſſet reſiſtere. Quocirca vir ſanctus illam intelligēs oculos ſuos in eam deflexit. *Reſpiciens in eam.* Nota cū D. Chryſ. quod non dicat: *reſpiciens eam*, ſed *reſpiciens in eam*, q. d. reſpiciens eo, vbi illa erat, poſt eam diabolum vidit; etenim hic erat, qui mediante illà ſpicula emittebat velut in ciuitatem deloricatam. Proponitur viro cōiux madens lacrymis; illique repræſentans ad quantam decidiſſet paupertatem, & quā illa ſit omni deſtituta ſubſidio, nec non quā euidenter pateret ipſum à Deo derelictum quandoquidē tam duris illū exciperet aduerſitatibus. O quā vehemēs fuit hic aſſultus, vltimus fuit, & ſupremus: etenim fortiores & periculoſiores, quibus Satan aggreditur, illi ſunt, quibus per lacrymas, ſuſpiria planctuſque mulierum impugnat: videtur enim quòd reſiſtendis illis cor ſit imbecille vtroque deſtitutum.

D. Aug. Serm. 25. cit. Tom. 10.
XV.
Dauid ex conſpectu mulieris venuſtatis cecidit.

Ecce cum D. Aug hoc argumentū proſequēte, quod Dauidi contigit: quam erat illi cor infirmum, quam ſine propugnaculo: nam à mille paſſibus illi ſagittam emittens Bethſabee in cor eius impegit, tantamque, quantam ſcimus prouocauit illi calamitatē. *Dauid ille ſanctiſsimus in mille paſsibus mulierem nudatam vidit, & ſtatim homicidium fecit, & adulterium.* O quis inimicus adeo robuſtus, qui mille paſſibus iaculum intorquens thoracem terebraret æreū,

an for-

perior? ſi Dauid ſanctitate adeo robuſtus, ieiunijs, vigilijs & continuis ita munitus orationibus, cor paſſus eſt iaculo transfodi, quod Bethſabeæ pulchritudo à tanta intercapedine illi immiſit: quid vis vt de te credam epulone, libidinoſo, qui prorſus omnem ignoras mortificationem, orationem, & ieiunium illique accedis adeo proximè? ideo (monet D. Aug.) *Nemo ſe falſa ſecuritate decipiat, nemo de viribus ſuis periculoſe præſumat, ſed audiat Apoſtolum dicẽtem: Fugite fornicationem.*

D. AM. *Apolo. 2. de Dauid. c. 3.*

Proſequitur D. Ambroſ. hoc argum. contra Gentiles diſputat exaggerantes Dauidis peccatum, vnde & Chriſtum vili faciebant vtpote filium adulteri, & homicidę, & ait, quod ipſe Dauidem non liberet, ſed excuſet. Primò Rex erat, & poteſtate fulgens: vnde de facili quidquid volebat obtinebat. Secundò habuit occaſionem & in illa quis ſtetit inuictus? voluit Deus, inquit ille, vt noſtra pateret natura, cui in occaſionibus lapſus eſt quaſi communis. *Lubricam igitur videmus ad vitia poteſtatẽ &c. non adulteraſſet Dauid alieni ius tori, fœderati pacta cõiugij: niſi nudam & lauantem mulierem de domus ſuæ interioribus vidiſſet.* Et ideo bene ſcriptũ eſt: *non intendas in mulieris ſpeciem & non concupiſcas mulierem*, mulierem non aſpicias, mulierem concupiſces: etenim ex aſpectu oritur concupiſcentia. *Nemo enim diu fortis eſt &c. nec meâ tãtum hoc ſententiâ difficile iudicatur: etiam ſanctis Salomonis prouerbijs impoſſibile iudicatum eſt, qui ſuo doctus exemplo ait. ligabit quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta non comburet: vel ambulabit quis ſuper carbones ignis, pedes autem non cõburet. Caue ergo tu, &c.* Quid mirum, quod ego iudicem hoc difficile, quod Salomon iudicauit impoſſibile, & ſecluſo miraculo fieri non poteſt? ſicut in iuuenibus Babyloniæ, quos ignis non conſumpſit. Ad huius confirmationem explicat idem D. Amb. illud de pſalterio, *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Si tibi oranti, boniſq; intento operibus laqueum paret diabolus: *in via hac quâ ambulabam abſconderunt laqueum*: quid aget in præcipitiis? *noli recedere de via, ſi in via ambulans vix tutus es à latrone, quid facies ſi te vagantem extra viã inuenerit? dirigantur greſſus tui, &c.* Fuge occaſiones ſi mens tibi ſit, vitare pericula, tutoque ambulare.

XVI. Mulierũ intuitus omnino vitãdus eſt.

*Eccli 25 & 26.*

*Prou. 6.*

## §. 9. *Confeſſarius pœnitentem de periculoſis educat occaſionibus, ſicut Moyſes populum, vt illum de Pharaonis ſeruitute liberaret.*

HInc colligant Confeſſarii; quod in principio prælibauimus, ne ſcilicet promiſſis fidant pœnitentis licet iuramento confirmatis, ſi in eadem peccati & ruinæ ſuæ permaneant occaſione: ſi hic non omnino ſe ſubtrahat à frequentatione domus illius mulieris in qua cecidit: & alter de taberna luſoria in qua animæ paſſus eſt naufragiũ: & alter de cõtractibus, quibus habendi accreuit cupiditas, & bona detinet aliena. Confeſſariis incumberet conſtantem imitari Moyſi reſolutionem, quem Deus ſibi miniſtrum elegerat, quo populũ ſuum de dura Pharaônis poteſtate vẽdicaret. Crudeli nimis ſeruitute Dei populũ tyrãnus hic opprimebat, cui dare negabat libertatẽ ſuauioribus à Deo rogatus verbis, vt Ægypto decederet illi in deſerto ſacrificaturus; quocirca opus fuit cũ illo ageret aſperiùs, vno alteroue flagello perterreret; aquas mutat in ſanguinẽ, ranas producit vt execrandas ita coaxantes, vt in menſas, quibus accũbebat inſilirent: quinimo in lodices & lectuli ſtragulas penetrarent, nec requiem concederent dormiendi: iniicit illi velut tauro indomito muſcas adeo graues venenoſas & pernicaces vt aculeo ſuo mortẽ inferrent, his plagis vndequaq; protritus Moyſẽ vocat, aitq; : eia Moyſes: tribuo libertatẽ quã populus hic Deo ſuo ſacra faciat, eiq; ſeruiat; verũtamen ea cõditione, vt hęc fiant in Ægypto, nec de terra hac mea diſcedant. *Ite ſacrificate Deo veſtro in terra hac:* nõ ita, reſpõdit Moyſes, non enim immolabitur ſacrificiũ Deo noſtro placitum & cõtinuum in terra hac: etenim ſacrificia noſtra offendent Ægyptios, qui mille nos impedient obſtaculis. Igitur quod felix fauſtũq; ſit, ait Pharao vobis permittam, quatenus de terra hac proficiſcamini in deſerta ſacrificaturi, porro hac conditione, ne longiùs abeatis, ſed eo modo, vt vos citiùs in Ægyptũ poſſim reducere. *Ego dimittã vos vt ſacrificetis Domino Deo veſtro in deſerto: verũtamen longiùs ne abeatis.* Nec hoc quidẽ replicat Moyſes: vt enim cõgruus ſit egreſſus noſter quo Deo litaturi pergimus; ad minus triduanò nobis hinc eſt itinere diſcedendũ: *Viã trium dierũ ibimus, in ſolitudinẽ.* Huic obſtitit Pharao. Caue tibi reſpõdet Moyſes: flagella multiplicabuntur & pręter iam recepta, mittet tibi Deus locuſtã quę cãpos, vineas,

Exo. 8. 25

vineas, & arbores depaſcatur, nec quidquam viride relinquat; his minis Ægyptii percelluntur qui præcedentes minimè curauerant plagas, vnanimes conueniunt Pharaônem, Domine mi Rex, huius hominis annue poſtulatis: ſin minus, omnes peribimus. Et hoc ego præauguror, ait Pharao, huc aduocate Moyſen quem præſentem ſic interrogat; *Quinam ſunt, qui ituri ſunt* & de terra profecturi Deo veſtro ſacrificaturi? reſpondet Moyſes: *Cum paruulis noſtris & ſenioribus pergemus, cum filijs & filiabus, cum ouibus & armentis.* Cui rurſus Parao. *Sic Dominus ſit vobiſcum, quomodo ego dimittam vos & paruulos veſtros.* Intendebat ſibi retinere filios vel armenta in terra ſua quò parentes obligaret ad remeandum, te igitur Deus conſeruet inquit Moyſes, ſi ego fecero quòd à me petis; imo potius flagella duriùs te populumque examinabunt. Increuit locuſta quæ totam deuorauit terram quam ſecutæ ſunt tenebræ tam horribiles & palpabiles vt Ægyptii ſeſe de loco ſuo mouere nequiuerint, iteratò Moyſen reuocat Pharao, perplacet, annuo poſtulatis, abite, & ſacrificate Deo veſtro viri omnes, & cum paruulis veſtris: verumtamen hic armenta veſtra relinquite, quibus mihi ſatisfiet & ratio eſt: quia ſibi perſuadebat, quòd eam ob cauſam citiùs repedarēt ea quæſituri: *Ite ſacrificate Domino: oues tantum veſtræ & armenta remaneant; paruuli veſtri eant vobiſcum.* Nec his aſſentior, inquit Moyſes nec enim de terra hac migrabimus, ſi in ea quidquam reliquerimus idcirco hæc vltima ſit reſolutio: talis eſſe debet exceſſus noſter, vt nihil omnino relinquamus nedum homines, aut aliquid maioris momenti? ſed nec ouiculæ minoris vngulam: hoc etenim, ex mente D. Augustini, hæc verba ſignificant: *Cuncti greges pergent nobiſcum: nec remanebit ex eis vngula.*

*Li. locut. in Exodo ci. 53 Tom. 3.*

In hoc modo agendi liquidò deſcribitur Pharaônis infernalis agendi modus cum peccatoribus, quos peccatis quibuſdam ſingularibus ſibi retinet captiuos: te, quem à duobus, tribus imò decē annis in concubinatu tenet ſubiectum: & quamuis de illo ſpoponderis egreſſum, numquā tamen realiter exceſſiſti: alterū, quem à multo tempore ſibi ſubiecit, bonis irretitū alienis; quāuis enim crebrò promiſerit eorū reſtitutionem, numquam tamen eam opere cōpleuit, vocat te Deus, vt ex miſera hac egrediaris ſeruitute, eique proponas operibus pœnitentiæ ſacrificare, tibi acclamat nunc exterius per prædicatores, qui te flammis æternis, & ignibus perterrent ſempiternis: nunc internis vocibus quibus propria te reprehendit cōſcientia, tuā tibi perditionē repræſentās: quodque te mors poſsit inopina percellere & hic mane ſereno ſanus aſſurgens noctē incurreres ſempiternā: tempus adeſſe quadrageſimæ quo te ad Deū conuertas, quē ſic contra omnē rationē offendiſti, tibi quidē Satā reſpondebit, ſit ita: cōuertere ad Deū, tua cōfitere peccata, ſacrificiū illi offer pœnitētiæ: veromtamē *Sacrificate Deo veſtro in terra hac;* Mane in eius domo, vel illam in tua habeto: hoc etenim peccato non imputatur: quod ſi confeſſario his non ſit ſatisfactum, nec admiſerit conditionem, addet & dicet: fauſto hinc abeas omine: ſed ne longiùs progrediaris. *Ite verumtamen longius ne abeatis,* ſit hoc ita, vt illam tamen videre poſſis, & illa domum tuam accedere: fieri namque hoc poteſt inoffenſo Deo: quod ſi hæc Confeſſario non ſufficiant: egredere & abi, ſed remanere poteſt aliquid; non illam videas, ſed remaneant ſcedulæ, verborū nuntia, munuſcula ſiue ad veſtitum, ſiue ad delitias, à te illi, & ab illa tibi mittenda, nec enim hoc videtur eſſe poſſe inconueniens. His ſibi perplacet Pharao infernalis: quia cum quædam remaneat occaſio ſibi non perſuadet, te illi ereptum: nec hoc quidē, conſtans ait Confeſſarius, vt alter Moyſes: *Nec vngula remanebit,* nec veſtigium, nec domus illius limen, porro, nec per eius plateam vel ſemel tranſeat, vel pedem eo inferat: ſi namque quidquam hac in Ægypto reliqueris ſecurus eſt iſte Phareo quod ad illam reuerſo tibi manum injiciet quo te eadem premat ſeruitute & captiuitate detineat.

His intendite Patres Confeſſarii, nec pænitētiū fidite promiſſionibus: ſi namque illis concedatis, vt vel minima remaneat occaſio ne crediderītis eos eſſe ſecuros. Non abſoluat eum Confeſſarius, qui occaſiones non vitauerit, ſumat experientiam Dei Ducis Iehu: hunc elegit Deus vt familiam euerteret impii inimici ſui Achab, occidit illum, & cognitā eius poteſtate ſubditi regni Achab, ſeſe illi ſubmittere velle demonſtrārunt; quocirca nuntium illi mittunt in hæc verba. *Serui tui ſumus, quæcumque iuſſeris, faciemus, nec conſtituemus nobis regem, quæcumque tibi placent, fac.* O quantam præferunt obedientiam? ô quantam ſubiectionem? *Reſcripſit autem eis litteras, dicens: Si mei eſtis & obeditis mihi, tollite capita filiorum Domini veſtri & venite ad me hac eâdem horâ cras in Iezrahel.* Quę verba, & quā cōgrua optimo Cōfeſſario

*4. Reg. 10.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

„ feſſario diſpoſitio. Si mihi obeditis & eſtis ita ſubiecti, pro vt oſtenditis, hanc probate ſubmiſſionem & obedientiam: primò tollite capita filiorum impiiſſimi Regis Achab, & tunc redite ad me, vt vos abſoluam. Capita peccatorum tuorum, tollite occaſiones illas ex integro & omnes quidem auferte, vt nec vna remaneat: & hoc modo diſcemus vtrum vera fuerit veſtra ſubmiſsio, dolor efficax, nec ficta pœnitentia. Vade & abige mulierem, quam tuæ habes liberam diſpoſitioni ad ſcelera, quibus Deũ offendis: omnino tolle eius domus ingreſſum; male parta reſtitue quæ contractibus iniquis & vſuris tibi comparaſti, famam illi reſtitue, cui illam detractor abſtuliſti, expelle rancorem, & malam, quã fertes in fratrem tuum, voluntatem. Hoc peccati caput eſt, illud radicitus euelles *& venite ad me*, donec Confeſſario in hoc plenè ſit ſatisfactum nequaquam impertiat abſolutionem.

§. 10. *Prædictum confirmatur hiſtoriys notatu dignis SS. Iacobi & Martiniani Anachoritarum.*

☞ 26. HInc SS. Patres damnârunt religioſos illos & Eccleſiaſticos frequentantes communicationem cum mulieribus, quique volebant illis cohabitare tractatus conſcribentes particulares: *quod fœminæ viris non cohabitent*: vt patet in D. Chryſoſtomo Cypriano, D. Auguſtino, D. Ambroſio: & rationem dat D. Greg. Nazianz. in quibuſdam verſiculis à ſe compoſitis.

Refert Nicetas in Annot. ad illum tract. Exhortat. ad Virgin. p. 278.

*Nec tutũ eſt rapidæ ſtipulam coniungere flãma*
*Nec tuta eſt Monacho iuncta puella viro.*

Alioquin recurreret hic miraculũ Moyſi de rubo ardenti & non combuſto. Ne mihi obieceris: ſanctus eſt, in oratione frequẽs carnis ſuæ mortificator: nec enim illam tam aſperè mortificauit atque Apoſtolus, nec erit illi ſanctitate cõpar, nec tanta gratiarum affluet abundantiã, qui tamen timore percellitur perpetuo, qui licet occaſiones ſubterfugeret, dum tamen minus cogitat, ardorem ſenſit concupiſcentię quo nimis torquebatur, quoq; diabolus eum perdere conabatur *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c. ſtimulus carnis meæ qui me colaphizet.*

Rom. 7. 23. 2. Cor. 12. 7.

Mira ſunt & obſtupẽda, quæ legimus in hiſtoriis Sanctorum & Monachorum quos ſtrictiſſima mortificatio reddidit celeberrimos: ex quibus Deus voluit docere nos, quã viuere cautione debeamus. Mortificationem intellige D. Iacobi Anachoritæ, cuius hiſtoriam conſcribit Simon Metaphr. vir hic Sanctiſsimus calcato mundo, in ſpeluncam ſe abdidit, in qua quindecim perẽgit annos in ſolitudine, aſperrimã pœnitentiã & continuã feruens oratione: tantas hic à Deo meruit gratias, vt non vulgaria paſsim ederet miracula, conſtans in hac viuendi regula 30. perſtitit annis & pro ſanctitatis incremento, creſcebat & ſignorum multitudo, ad ſtuporem totius vniuerſi. Occupauit diabolus corpus puellæ cuiuſdam longè inde diſtantis, & ſæpe licet exorciſmis ad exitum compelleretur, nullatenus tamen voluit obedire: ſed multis poſt diebus cœpit cacadæmon monachum illum ſanctum inclamare, quaſi ille eſſet, cuius ſolius ſanctitatem vereretur, interim non niſi ruinam eius, caſumque intendebat. Proponunt parentes filiam ad ſanctum adducere Anachoritam, vt de facto adduxerunt, quo rogante pro illa & inſufflante contra Satanam ad exceſſum eum compulit: puella liberatur, & ipſe de hoſte triumphat, oſtendens plus ſe poſſe vnico oris flatu: quàm tota inferni potentia. Parentes autem veriti diaboli regreſſum in filiæ ſuæ corpus, obnixè rogârunt, vt ad maiorem ſecuritatem apud illum biduô vel triduô remaneret. Preces eorum admiſit vir ſanctus: ſed quam primùm illa ſolus cum ſola morabatur, mouit illi diabolus bellum adeo crudele media puellæ pulchritudine: vt continuò flammas in eo ſuccenderit concupiſcentiæ, vt Dei timoris oblitus ſuamque poſtponens caſtitatem, omnem ſuam perdiderit vitæ ſanctitatem: etenim puellam ad illicita prouocat, & cum illa ſtuprum committit; ilicò diabolus, quem ex hac parte proſtrauerat, redit, vt ex altera illum bello laceſſat; proponit illi honoris ſui iacturam, niſi iam violatam interficiat, diceretque parentibus filiam requirentibus, quòd illa iam pridem diſceſsiſſet. Occidit illam, & ſepeliuit: iterum recurrit malignus ille ſpiritus, & ad laqueum excitat deſperationis criminis illi obiiciens enormitatem qui dum de primo peccato pœnitere debuiſſet, alterum addidiſſet multo turpius, idque ita viuaciter, vt ad extremum illum compulerit deſperationis; iamque iacta fuiſſet alea, niſi fauſtiſsimo omine monachum offendiſſet, à quo ad pœnitentiæ lamenta

I. Exemplũ de Iacobo Anachorita. *Apud Surium To. 1. 28. Ian. p. 737.*

prouocatus hæc tantò arripuit feruore ſpiritus, vt reliquum vitæ tempus ſepulchro concluſus inter oſſa mortuorum lacrymis luctuique conſecrârit. Vt fuſiùs diximus die Iouis præterito. Eia age, tuæ fide mortificationi, & innitere virtuti: cum videas quàm paruum ex illa ſubſidium habuerit ille, qui 30. annos eiuſdem impenderat exercitio.

☞ 27 II. Exemplũ de S. Martiniano. *Apud Sur. To. 1. 13. Februar. A.1002.*

Nec minus admirandum quod alteri ſancto contigit monacho Martiniano, pro vt legimus ex Metaphraſte. Proximè ciuitati Cæſareæ Palæſtinæ mons adiacet, in quo plures viuebant Monachi eremicolæ, ad hanc ſe recepit ſolitudinem vir ille pius, in qua ad tantam adſcendit ſanctitatis eminentiam vt mundum in ſui raperet admirationem Multimodis illum diabolus eſt aggreſſus, nunc aſſumptá ſerpentis formá: nunc leonis, modo horrendo ſtrepitu, modo viſionibus execrandis, quem ſemper monachus ille exſibilando ſuperauit: tandem proponit diabolus illum per mulierem impugnare: hæc vt audiuit ſanctiſſimi viri præconium, ſic ait: nihil hoc vos moueat, quidquid de illo ſpargitur, ſi namque in aciem ego prodiero, confeſtim illum ſupplantauero. Quid miramini ait illa, quòd palea non aduratur ſi procul abſit ab igne? *Scitis omnes, quod ſi non ſit ignis fœnum non vritur ſed ſi igne propoſito fœnũ manſerit incombuſtum, hoc eſt admirabile, & magni faciendum.* Quid verũ egit hæc mulier, vel per eã diabolus? vilioribus & laceris induitur, caput cilicio cõtegit, fune cingitur, & perá accipit, cui cultiores includit veſtes & monilia, quibus ſe cõponere pro more habebat, ad primã noctis vigiliã egreditur ciuitate, vehemente irruente tempeſtate & pluuia, adſpeluncã confugit ſanctiſſ. Monachi, altiùs illũ inclamat, triſtique gemitu viri cõiurat pietatẽ Miſerere mei ſerue Dei, tua non ſinat clementia, vt foris ſola pernoctem feris pabulũ, & eſca leonibus, à via aberraui, quo diuertã, ignoro, tuã obteſtor charitatẽ, miſerere mei. Timuit vir ſanctus & hærẽs dubius, aiebat: quid facturus ſum? aperiãne vel non? ſi aperuero, caſtitatis incurrã periculũ; & charitatis ſi nõ aperuero: ſcio quid acturus ſum, me Deo cõmittam vt ille me à malo cuſtodiat: mulieri oſtiũ patefecit, videt illã, & quo ad exteriora conſpicit aquá pluuiaq; perfuſam; ignẽ illi conſtruit, ficus tradidit, aitq; ſoror chariſſima, hic ſubſiſte; non enim tecũ morabor, abſterge pluuiã & manè proficiſceris quo facto ad cubiculũ illè ſeceſsit interius obfirmatá firmiter ianuâ. Illico diabolus illum aggreditur, mulierẽ illi repræſentat ibidem pernoctãtem, totaq; nocte grauioribus vrget tentationibus. Accreſcit periculũ; etenim mulier ſola ad ignem reſidens eductas de ciſtula ornatiores aſſumpſerat veſtes, cultumq; elegantiorem, ita vt prodiens de cubiculo monachus illam excitaturus mutatã vidit, & forma ſpecioſiſsimã admiratur. Quid hoc ô mulier? ô Domine mi, blanditur illa, notum tibi ſit, me tui languere concupiſcentiâ, hæc etenim me prouocauit vt huc accurrerem te quæſitura his illum cœpit blanditijs pellicere, & verbis mulcere adulatorijs, ita vt confeſtim illum euerterit: iamq; ſui ruinam propoſuerat, ſed ait: hic modicum exſpecta, cum enim, iam Deo defecerim, nolim tamen inter homines honoris mei pati naufragium confluxus ſolet hic eſſe hominum multus, patere, vt videam num aliquis circum circa compareat.

Proſpectũ prodit, & ecce luce quâdam miraculosá occurrit illi Deus, peccati proponens, grauitatẽ, in quod iam labi decreuerat; quid breui illa delectatione amitteret, idque tam efficaciter: vt aſſumptos quoſdã ſarmentorum manipulos illos introtulerit, igni iniecerit & detractis ſibi calceis inter flãmas medius ſteterit, ſic mulierem allocutus: heu mulier flammæ illæ, quæ pectus meum accenderũt non minori virtute extinguuntur, quam illa huius ignis, in quo mihi pedes & corpus exuro, & ad ſe conuerſus, aiebat: ô Martiniane, perpende num ignẽ hunc vel breui quidem ſpatio valeas ſuſtinere: ſi vires tibi deficiant, quibus alijs ardorem perferes inferni ſempiternum? vade, curre, apage, mulier: de his etenim non egrediar flammis, niſi tu te meis proripueris oculis, & quandoquidem hæc in me videris, ad ſimiles tu conuertere pœnitentiæ luctus quales & ego ex hoc tẽmpore ſum aſſumpturus: obſtupeſcit mulier, & à Deo illuminata, abiit Ieruſalẽ, ingreditur monaſteriũ, in quo reliquos vitæ dies lamentis conſecrauit: vocabulo Zoe dicebatur. Perpende quã ratione in talibus tu ſis ſecurus occaſionibus, ſi tã turpiter lapſus eſt vir, prodigium ſanctitatis.

Verum hic non ſubſtitit diabolus, nec arma proiecit, ſed Dei vir ex caſu præterito perterritus & contritus & ſemiperuſtus foras prodiens de ſimilibus ſibi prouidere ſtudens periculis, ſolitudinẽ petijt, in qua nullas poſſet intueri mulieres, montem aſcendit altiorem, cuius proſpectus erat in mare, ſibi perſuadebat diabolus omnia arma ſua eſſe ſuperata & contrita; niſi mo-

lier

lier adeſſet: quocirca & altero bello, & alterâ virum aggreditur femina; hoc in monte vir degebat ſolitarius, oculos in mare deflectens;& ecce inopinatò nauim intuetur tam furioſa iactatâm tempeſtate vt ad petras colliſa naufragio perierit, omnibus illis ſubmerſis, quos nauis concluſerat, vnicâ muliere excepta iuniore formoſiore, quæ ad petram delata, & ſurſum Dei virum conſpicata, his verbis eius implorat clementiam: ſerue Dei altiſsimi ſuccurre mihi, vitæ meæ tibi patet periculum in manibus tuis ſalus mea, vita mea, remedium meum: auxiliarem, amabo, prorrige dexteram: non tua patiatur miſericordia in conſpectu tuo pelagi fluctibus me miſeram abſorberi: parce mihi, parcat tibi Deus. Virum Dei graui licet videre conflictu agitatum: nam ex vna parte diſcrimen attendebat, cui illa mulier exponebatur, ſi debitam non exporrigeret manum: ex altera verò illud, cui ſeipſum exponebat, ſi eam periculo ereptam ſecum deduceret, ad Deum ſupplex recurrit: heu Domine mi, præteritus me docet caſus, quàm parum mihi liceat in præſenti confidere. Quid agam? ſi illi ſubuenero & eam maris fluctibus eripuero quibus mergitur, alteri me expono periculo multo grauiori: ſi me negligente illa perierit], in Dei iudicio hanc à me repetent animam, & huius vitæ perditæ reus ſiſtar: quia cum potuerim illam liberare, tamen noluerim. Determinat illi ſuccurrere, & dare manum, mariſque vndis eripere, ſicut de facto illam eduxit & in cellam ad montis cacumen ſe recepit, porro dixit illi: dilectiſsima ſoror: *Ignis cum fœno nequaquam bene conuenit: non poſſum ego, & tu ſimul eſſe.* Hoc agendum eſt, tu hic reſide, en panis fruſtum, quod mihi ſeruaueram à nauta delatum, qui de bimeſtri in bimeſtre huc appellit: hic tu morare donec ille veniat, qui te ſaluam abducat; ego mihi ſtudeo proſpicere: quo dicto ſe ſigno crucis muniens, Deoque commendans in mare præcipitem dedit: ſibi perſuadens in mari ſe fore ſecuriorem, quàm in terra comite muliere: eodem memento duos Dominus miſit delphinos, qui in humeros ſuſceptum in altum mare deduxerunt, vſque dum mulieris effugeret oculos, & ad pelagi littus inde longè diſſitum ſaluum ſtatuerunt: in terra iam conſtitutus vir Dei, aliud vitæ genus inchoauit, ita vt liber ab his viueret occaſionibus, ſibi in his nequaquã fidens, aut ſecurum ſe arbitratus.

III. Factum hoc excuritur. Factum mirabile & quamuis inter illa nomeretur, quæ nos conuenit magis admirari, quam imitari, tamen intelligere debemus illum hoc feciſſe ſingulari motum impulſu Spiritus ſancti quô ſecluſo illicitum erat ei, ſicut & Samſôni ſuper ſeipſum templum deuoluere, & ipſi D. Apolloniæ ſe ignibus inicere. Hoc autem nobis euidenter oſtendit, quàm ex animo ille Dei ſeruus intellèxerit, ſibi non fore poſſibile moraliter loquendo viuere, manere, & eſſe vel paruo tempore, cum muliere iuniore & venuſtiore abſque periculo ſuæ caſtitatis, & animæ manifeſtiori: quandoquidem credidit nullam ſibi aliam patere viam, quâ ſibi conſuleret niſi miraculum adeo prodigioſum quæreret, & à Deo poſtularet, quo cuſtodiretur mitteretque illi ſubſidium, ſeſe in mare præcipitando. Obiicies: videtur ſanctus ille Deum tentaſſe, & voluiſſe miraculum illud fieret, quód Chriſto diabolus perſuadere voluit, vt ſperaret, ſeipſum de pinna templi præcipitando! quod Angeli ſubuenirent eum recepturi & ſuſtentaturi: nam hoc Dominus declarauit eſſe tentare Deum: Reſpondeo ex præfata doctrina Auguſtini, quòd ſecundum ſanam doctrinam, tunc homo tantat Deum quando poſcit miraculum in eo, cui ipſe viâ poteſt ordinariâ ſubuenire: non autem quando hoc ſperat: quia videt nullum aliud ſibi remedium adeſſe, quo ſe eripiat niſi Deus miraculoſo quodam illi ſubueniat prodigio. Chriſtus de pinna templi poterat deſcendere, nullo adhibito miraculo, verùm ſanctus ille credidit abſque miraculo ſe ſibi non poſſe proſpicere, in tali occaſione conſtituto: & credidit. quod maiùs longè miraculum à Deo peteret, ſperando, quod ſuam conſeruaret caſtitatem in hac occaſione, quam ſperando quod vitam ſibi conſeruaret mediis fluctibus expoſitam: ecce qua de cauſa hoc cenſeret ille impoſsibile; quandoquidem credidit eſſe faciliùs, non mori ſe præcipitatum in pelagus, quàm animam non perdere & caſtitatem, cum ſolus eſſet aliquo tempora cum muliere formâ elegantiori Hic conſiderandum, quo fundamento nitantur ſancti, dum dicunt: quanto tempore tibi detines occaſionem, tantò & inhærere vis peccato, illique minimè valedicere.

IV. D. Hier. Celebris eſt illa ſententia D. Hieronymi: *Nemo mortaliũ iuxta viperam ſecuros ſomnos capit*

Diſſuadet mulierũ cõtubernium.

*quæ etſi non percutiat, certè ſollicitat*, & ſi viribus ſuis confidens à vipera mortifero morſu pungeretur non eſſet admirandũ: quia non eſt, quod admiremur eum qui negligens & ſuo robore confidens non veretur iuxta viperã obdormire ab illa mordeatur, & morſu quidẽ mortifero, quinimo contrariũ magnã moueret admirationẽ, quia multũ hic eſt quod admiremur, quod ſerpens habens quẽ mordeat, illũ omittat impugnare: *Tutius eſt perire non poſſe quã iuxta periculum non periſſe.* Quòd ſi caſti illi eremicolæ tot tranſactis annis in pænitentia, & actibus mortificationis, continuis vigiliis, feruidis orationibus, obtentis à Deo tot donis nihilominus ad minimã occaſionẽ illis oblatam corruãt, & hoc tantillo quidẽ tempore quo illi inhærẽt, quid tibi ſperandũ luxurioſe, delicatule, profane, qui quid ſit pœnitentia, ignoras, quid diſciplina, quid ieiuniũ, quid vigiliæ tot occaſionibus expoſito & continuã detento cõuerſatione, potiſſimũ cum, vt aliàs diximus, multò ſint flãmæ in te feruẽtiores quas concitat cõcupiſcentia, quam in pio clerico, in iuſto Religioſo, & monacho ſolitario. Satis conuenienter his exẽplis applicari poſſunt verba D. Greg. ſcribẽtis præſidi quem ipſe defenſorem vocat Ciciliæ nomine Romano, & aliis quibus ſtrictè iniungit ne permittant, quòd aliqui Eccleſiaſtici cohabitent mulieribus; ad hoc refert de S. Auguſt. exemplum, quod nec domi ſuæ propriæ ſororis permitteret cohabitationẽ dicẽs: quod quamuis ab ea non timeret, tamen non ſecurus eſſet ab illis, quæ eam viſitarent. *Legitur quod B. Aug. nec cum ſorore habitare conſueuerit, dicens quæ cum ſorore mea ſunt ſorores meæ non ſunt*, & addit, quod nos inſtruere poſsit & docere huius Doctoris cautela ſanctiſsimi. *Docti ergo viri cautela magna nobis debet eſſe inſtructio, nam in cauſa præſumptionis eſt quod fortis pauet, minus validum non timere.* Fuge pericula: nam illis implicitus, vires tibi quibus proſperè excedas, deficient: quandoquidem Christus, qui in ſeipſo adeo ſecurus erat, ipſe ea fugiat, quæ ſibi mortis offerebantur, & de Iudæa ſe proripiat, nec in eam velit remeare quia mortem eius ibidem Iudæi machinabantur.

D. Hier. Epiſt. 47. Tom. 1.

*Hom.* 18. 21. 32. *& ſeqq.*

D. Gre. Li. 7. *Epiſt. Indict.* 2. *Epiſt.* 39.

V. Similiter & D. Gre.

§. II. Nõ voleat in Iudęã ambulare, *Fugit Christus: quãuis enim mortẽ optaret, hæc tamen nõ erit niſi horã à Patre præſtituta, nos docẽs qualiter opera noſtra bona faciamus.*

VLtimã tandẽ aſsignemus ſeceſſus Chriſti in Galilæam rationẽ ob quã mortem fugiat, quam illi in Iudæã intentabant, *Quia quærebant eum Iudæi interficere*: & hanc eſſe dicimus quia nondũ venerat hora eius illi à Patre moriẽdi præſtituta. Fatemur quidẽ, quod Christus eo animo mortem optaret quo ſalutẽ noſtrã deſiderabat & redemptionẽ, ſed quia illã patiebatur, quo cæleſti Patri obediret illiq; perplaceret: *Vt cognoſcat mundus quia diligo Patrẽ & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio*, moras trahit vſq; dum veniat hora à Patre ſibi deſignata. Anhelus iacet infirmus, ſiti nimiã exæſtuans, præſcribit illi medicus, vt tali hora potum ſumat, quia ſæpe ſaluti conducit infirmi febribus æſtuantis, ſi plenum aquæ hauſtũ tempore ſumat opportuno. Quis non videat deſiderium, quo flagrat bibẽdi, & anguſtias quibus aquã exoptat, vt videatur eius anima poſt illã ſubſequi, quàm primũ illam audit nominari, aut videt calicẽ illi deferri aquæ, & ait neq; aquã Domine mi, illã ſe pone, an ergo illam nõ deſiderabas? vtiq; ſummoperè: etenim ſiti morior: ſed mihi tempus eſt à medico deſignatũ, quo potũ ſumã, vt mihi ſit ſaluti, & quamdiu illud nondũ venit, coarctabor & anhelabo, donec veniat, & meipſum nunc mortifico, potum aquæ non hauriendo. 28

I. Christus fugit, quia nõdum venerat hora eius.

*Ioan.* 14. 31.

II. Qua ratione Christus mortem fugit, cũ eam tantopere deſideraret.

III. Similitudo.

O Chriſte ſanctiſsime infirmus es nõ tuis infirmitatibus, ſed quia noſtras in te ſuſcepiſti, *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Pater æternus velut expertiſsimus medicus in ſalutis noſtræ remediũ efficax, ordinauit hauſtũ illum prægrandem aquarũ paſſionis eius horãq; ſignauit & diſpoſuit. Ne crediderìs, mortẽ Chriſti fuiſſe fortuitã, nec quãdo eam voluerunt inimici, ſed eã horã, quam Dominus decreuerat, ita celebri, & toties in ſacra pagina repetita. Nemo negat horam à Deo cũctis diſpoſitam eſſe mortalibus. *Breues dies hominis ſunt numerus menſiũ eius apud te eſt. Cõſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Omnium filiorum Adã mortis decreuit horã, Mauri, Arabis, infidelis, nã cum talis eſſet perfidus ille Rex Baltaſſar ſcriptam illã conſpexit

*Iſa.* 53. 4.

*Iob.* 14. 5.

manæ

manu quadam incognita, quæ hanc eius præferebat ſententiam, quod Deus vitæ dies illius numeraſſet, ac determinaſſet, quorum iam vltimus effulgebat; quinimo de paſſeribus dixit Chriſtus, quòd nec mortuus decidat ille, quem inopinatò ſagitta ferit alter, ſine diſpoſitione & decreto Dei ſingulari. *Vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro.* Qui tam ſupremo cuncta gubernat regimine, vt horas mortis omniũ viuentium habeat deſignatas, indubiè horam habebat deſignatã mortis vnigeniti ſui: cum illa tanti eſſet momenti, vt ab illa ſalus totius penderet vniuerſi.

Matth. 10. 29.

IV. Chriſtus ſummoperemortem optabat.

Hoc ſuppoſito infirmum videbis cæleſtem aſpirantem, & ſiti flagrantem gloriæ cæleſtis Patris ſui, & generis humani redẽptionis: quia verè nouerat huius remediũ conſiſtere in hauſtu copioſo dolorum, paſsionũ, & mortis, eò ſe animô, quô deſiderabat illud, & hoc quoque deſiderabat: etenim notum eſt Philoſophicum axioma; qui ſeriò finem deſiderat, & ſeriò media deſiderat. Hinc illæ anxietates, quibus ſe mortem optare demonſtrabat; hinc illæ voces, quibus exclamabat: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur.* Balneum mihi parandum eſt proprio meo ſanguine, ô quantum mihi cor exæſtuat; quas patior anguſtias, vſq; dum illud perficiatur, & me videam hoc balneo madeſcere: quondam dixit Apoſtolis, hanc ſibi horam imminere: D. vero Petrus amore, quò Chriſtum proſequebatur feruens; affligebatur illique ſe proſternens ait: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*, hæc mei non conſpiciant oculi: Dominus autem aſpero ſatis vultu ad eum conuerſus, ſic ait: *Vade poſt me Satana: ſcandalum es mihi: non enim ſapis, quæ Dei ſunt.* Sume ſimilitudinem, ſi curſori velociſsimo toto impetu ad brauium procurrenti teipſum in via opponeres, quid diceres? apage hoc impedimentum, obſtaculum & ſcandalum, nullus febriens ſiti flagrans tanto vnquam deſiderio vas optauit aquæ, ac Chriſtus paſsionis ſuæ calicem ex cuius nimia dilatione nimis affligebatur.

Luc. 12. 50.

Matth. 16. 22.

☞ 29 Lib. 7. in Luc. c. de negligẽte ſeruo in ſuis epiſtolis. Tom. 4

Subtilis & ſingularis eſt ille D. Ambroſij cõceptus, cuius doctrinam ſecuta eſt D. Catharina Senenſis omnis ſanctitatis exemplar, & tanta ſapientia celebris, vt eam Papa Pius Secundus, vt præclaram laudet magiſtram, idque in tantum vt publicè coram ſummo Pontifice, & toto Cardinalium conſeſſu peroraret. Perpendit D. Ambroſius, quod Euangeliſtæ de Chriſto Saluatore conſcribunt, quòd in horto ſegregatus cum tribus illis ſibi intimis Petro, Iacobo, & Ioanne, contriſtari cæperit & in tantam rapi mœſtitiam, vt in hæc doloroſa proruperit verba. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Admiratur hanc triſtitiam D. Ambroſius, & anguſtias adeo mortales, quæritque: heu Domine mi, quid tantam tibi ingerit triſtitiam? quid cor tuum ſic affligit? numquid non illud eſt, quod ſemper optaſti? ſi ſic eſt, quòd verum fuerit illud deſiderium quo te feruere monſtrabas: nunc tibi lætandum foret ad eius complementum, ſecundum hanc Spiritus ſancti ſententiam *Deſiderium ſi compleatur, delectat animam.* Quid igitur nunc contriſtaris, & quidem vſque ad mortem? ne ſuſpiceris, inquit D. Ambroſius, quòd ob mortem & pœnas quas paſſurus erat, tantopere doluerit, Sed ex earum dilatione: vt enim amore flagrabat ardentiſſimo, Patris ſui gloriam, & hominum exoptans redemptionem ex morte ſua ſecuturam, omne quod illam retardabat, in ſummas cor eius redigebat anguſtias, premebatque arctius: ſicut ſitibundus tantò magis affligitur, quod differatur aqua quantò magis videt horam bibendi iam approximare. *Mœſtitiam pretendebat* (audi D. Ambroſ.) *quam non ex metu mortis ſuæ, ſed ex mora noſtræ redemptionis aſſumpſerat.* Eo modo, quo miles generoſus, qui prænouit victoriam ſe obtenturum, & opimæ relaturum ſpolia ex prælio, grauiter affligitur, non ex metu prælij, ſed quia iam ſe vellet prælio videre occupatum, & velut mater abſente filio nimis affligitur, donec ille venerit, præſentemque illa videat, ſicut de matre Tobiæ nobis S. teſtatur eloquium, multum orctabatur, vſque ad aduentum filij ſui ſaluumque reditum.

V. Quid illa Chriſti triſtitia ſignificet in horto. Matth. 26. 38.

Prou. 13. 19.

VI. Mortem dolebat Chriſtus tam diu differri.

Sic intelligendum quod Chriſtus ait: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Heu Apoſtoli mei præ nimia morior triſtitia, donec me videam patientem & morientem: verba illa quæ Dominus dixit in cœna: *Quod facis fac citius:* opinantur D. a Aug. & D. Chryſ. dicta fuiſſe Iudæ proditori, D. vero Cyrillus & Origenes credunt dicta fuiſſe diabolo; ſit hoc, aut illud. Conſidera, ait noſter Card. Caiet. quod illis oſtendere voluerit quanto flagraret deſiderio moriendi, quantaque ſiti votoque patiendi: ita vt nullum inuenias hominem, qui tanto flagret viuendi deſiderio, quanto Dominus hic moriendi: O amorem diuinum! O ſitim cæleſtem!

a Tr. 62. in Ioan. 5. b Ho. 71. in Ioan. In c. 13. Ioan. d Tr. 32. in Ioan.

leſtem ! eia igitur, Domine mi, ſi hoc tantopere deſideres attende, quod iam de illo agant, & mortẽ tibi ob oculos Iudæi proponant in Iudæa. *Quòbèraut eum Iudæi interſicere.* Mille votis, inquit Dominus, ad hanc aſpito aquam, ſed nondum venit hora ab ipſo medico præſtituta, quocirca illam diuertit, atque vt dixerat, de illo ſe ſubducit loco & in Galilæam ſecedit expectans donec hora illa compleatur.

VII. Viri ſancti opera ſua faciunt iuxta beneplacitum Dei. *Pſal* 49. 3.

Viri ſancti opera ſua in Dei faciunt obſequium. Vnde eorum hæc prima eſt ſollicitudo, vt ea faciant eo modo, eoque tempore, quo illis hæc facienda præcipit; etenim alio modo facta non illi placerent. Lectionem notatu dignam nobis præligit Dauid. *Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Coadunate Sanctos, illoſque ad Deum adducite, qui verè tales ſunt, vt tales in eius conſpectu recenſentur, ne credideris quod quod omnes illi, qui ſancti ſunt in oculis mundi & hominum, ſint etiam in oculis Dei: multæ ſunt in mundo fictæ, phantaſticæ, apparentes, & voluntatis propriæ ſanctitates & multos inuenies ſanctos, qui exteriùs opera faciunt bona non tantùm, vt Deo ſatisfaciant quantùm vt ſuæ placeant voluntati & appetitui. Congregate Deo ſanctos, qui verè ſancti ſunt, & Dei ſancti ſunt: *Sanctos eius*: & quinam ſunt iſti? *qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Teſtamentum Dei, lex eſt eius diuina, in qua iam nobis diuinam expandit voluntatem: nota definitionem virorum ſanctorum eminentiſſimam: *Qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Qui ſua litant dicantq; Deo ſacrificia diuinæ legi ac voluntati ea conformando: illi qui ſuper illa Dei legem expendunt: illi inquam ſuper quibus dat regulam lex diuina ſuper extenditur.

☞ 10. Contra hoc feciſſe Saul arguitur.

Quantum opinor ſpectat Propheta Regiu Regis Saülis ruinam, nedum in ſacrificiis illis inordinatis, quæ offerre decreuerat meliorũ animalium quæ ſibi ex ſpolijs reſeruarat Amalecitarum contra Dei præceptum ſibi à Propheta Samuele declaratum: hic etenim grauiùs Deum offendebat quam famulabatur, & ſacrilegia magis quam ſacrificia dici merebantur: cum diuinæ repugnarent diſpoſitioni: ſed in alia quoque hiſtoria quæ principium eius dedit ruinæ & regni vitæque priuationi: hanc enim Dauid conſiderabat, vt ſuam inſtitueret. Præcipit Phropheta Samuel Regi Sauli, ex Dei nomine, vt ſacaificium illi offerat: ſed aduertat, quod qui ſacrificiũ poſtulat, eiuſdẽ deſignat 1. Reg. 13.
hotam, elapſo ſcilicet ſeptiduo, quo tempoee vatem Samuelem abeſſe conueniebat. Prætereuntur ſeptem hi dies: inhiabat Saül offerendo ſacrificio ſibi præcepto: ſinguli dies illi ſinguli videntur anni. Septimus eluceſcit dies, & abruptà omni mora, nec exſpectato reditu Samuelis ſuum offert ſacrificium, accedit Propheta, & iam completum cernit eſſe ſacrifitium: ingemiſcit grauiter & Saulis amarè deflet perditionem. Heu te Regem infelicem; quid rerum egiſti; præceptum à te mihi conſecraui Deo ſacrificium, & bona patet voluntas, quâ Deo ſacrificium dedicaui in eo, quòd ante tempus præſignatum illud obtulerim. O te ſtultum replicat Samuel *ſtultè egiſti*, graue hic commiſiſti mentis delirium, eatoque tibi ſtabit hoc ſacrificium: etenim in eius pœnam te Deus vitâ regnoque ſpoliabit. Quî hoc? an non mihi Deus offerendum præcepit ipſe ſacrificium; vtique, ſed qui tibi offerendũ præcipit, tempus etiam deſignauit quo vellet hoc à te ſibi conſecrari, nec ille Deum honorat, aut dedicat oblationem, niſi iuxta illius hoc faciat ordinationẽ diſpoſitionem, placitamque voluntatem. *Stultè egiſti*; magnæ imputaretur amentiæ operario cui præſcripſiſſes, vt ad primam lucem domum tuam accederet aliquid operis facturus, ſi media nocte feſtinus accurreret tibi ſomnum interrumpens: Domine, en adſum, tuum expleturus mandatum, frater mi ſtulteſcis: ego namque, qui vocaui te dixi vt ad ortum ſolis adeſſes matutinus, & non ad mediæ noctis tenebras importunus. Deus inquit D. Auguſtin. hoc à nobis prætendit, obedientiam & voluntatis reſitionem & opera quæ facimus in eius obſequiũ, tantò ſunt illi gratiora, quantò per illa & cum illis nos oſtendimus illi eſſe ſubiectiores: vnde illa quæ agimus, nequaquam ſatisfaciunt niſi in quantum ei ſunt conformia, quod ipſe nobis diſponit, & iuxta eius præceptum ea faciamus, hic etenim dicimus, amentiam non eſſe maiorem, quam alicui in eo famuliari quo tædium ipſi paratur.

IX. Similitudo.

De hoc arguitur Saül: etenim Deo voluit offerre ſacrificium contra Dei beneplacitum: imo & tu ipſe argueris, quando ſacrificia & opera, quibus prætendis Deo famulari, & non ſunt facta modo, & conditione, quâ Deus expoſtulat, quid tibi perſuades, Deo te gratificari eleemoſynis ex furto conquiſitis? Eccleſias eius
dotare atque in eis erigere ædificia, ex iis quæ X. Et nos

proximus

proximis abſtuliſti? an illa confeſsione ſcele-
quoque reprehē-dimur. rum tuorum non præmeditata nulloque debito præmiſſo examine? an illa communione non maiori præmiſſa Paſsionis Dominicæ medi tatione, atque cordis apparatu, quam ille, quem adhibes domi tuæ ſerculis menſæque adſeſſurus? an quod Eccleſiam petis filiam tuam periculo deſerens expoſitam, & muneri tuo viro ſeruiendi deficiens? an quod multum inſumas temporis euoluendo roſario, cui incumbit litigantium intendere proceſsibus, iuſtitiamque conſiderare? *Ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.*

XI. Chriſti perfecta & promiſſa voto obedientia.

Hoc Chriſtus, ait illoque nos inſtruit, quod mori deſiderans ſuamque vitam in ſacrificium offerre maiori longè animo, quam tu viuere, fugit, ſeque ſubducit: quia nondum venerat hora eius, quam illi Pater ab æterno decreuerat. Appoſitè perpendit Apoſtolus Paulus illa Dauidis verba in perſona Chriſti prolata quā primum naturam aſſumpſit humanam factus homo in puriſsimis Virginis Sanctiſsimæ viſ-
Heb. 10. 5 ceribus. *Ingrediens mundum dicit ſacrificium & oblationē noluiſti, aures autē perfeciſti mihi &c.*
Pſ. 39. 7. *tunc dixi ecce venio vt faciam voluntatem tuā: Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei In capite libri ſcriptum eſt de me vt faciam voluntatem tuam Deus meus &c.* quamprimū Dei filius intrauit in mundū, noſtrā induēs humanitatē in puriſsimæ Virginis vtero ſeipſum æterno ſuo obtulit Patri. *Ingrediēs mundū* proteſtatus: quā loquidē ad mundi remediū antiqua illa non ſatisfecerint ſacrificia illi; nō placuerint oblationes & holocauſta ipſemet adeſſet ſeipſum oblaturus, attamen hoc eo fieret modo, quo ſe diuinæ ſubmitteret per omnia voluntati, ita vt eo tēpore ſolēne votū emiſerit obedientiæ Patri ſuo cœleſti perfectiſsimæ, hoc eſt *Aures*
XII. Aures obedientiā ſignificāt. *perfeciſti mihi.* Bonæ aures perfectā proferunt obedientiam: etenim in auditu præcepti ſtatim obediuns, aures dediſti mihi ad audiendū verbū tuū & mandatū perfectiſsimas. Alia littera re-
Exo. 21. 6. fert: *Aures perforaſti mihi*: ſumptā ex eo meta-
Deut. 15. 17. phora, quod lex diuina decreuerat fieri ſeruis, qui perpetuæ ſe ſeruituti conſecrabant: illis etenim aures perforabātur: ita vt aures habere perforatas ſignū eſſet obedientiæ propriæ atq; perpetuæ: en præſto ſum Pater mi, mundū enim ingrediens diuino me tuo offero cōſpectui votum emittens perpetuæ volūtati tuæ ſanctiſsimæ diuinæq; legi obediētiæ: itaq. ſicut frater aſſumēs habitū votū emittit inter manus ſui ſuperioris: ſic & Chriſtus inter cœleſtes Patris ſui manus noſtræ mortalitatis habitū aſſumens vouit obedientiam: fuitque talis eius obedientia, vt omnium Monachorū quos vidit, vel videbit mundus, erga prælatos ſuos obedientia non accedat ad eam quam Chriſtus æterno Patri ſuo vouit obedientiam.

Vis noſce qualis illa fuerit? Conceptus in 31.
XIII. Chriſti perpēditur obedientia.
vtero virginali natus ex illo non eſt, nec viuens ad paſſum pedis progreſſus, nec verbum protulit, nec miraculū edidit toto quo vixit hic tēpore quod à Patre ſuo cœleſti non eſſet diſpoſitum, non eſſet ordinatum: in mundum naſcendo prodiit, quomodo & quādo Pater illi diſpoſuit: ſic enim eum alloquitur ore Dauidico: *Tu* Pſ. 21. 10.
*es qui extraxiſti me de ventre.* Prædicauit, quādo Pater hoc illi præcepit, hoc vel illud edidit miraculum ex Patris ſui æterni diſpoſitione, hoc prædicauit morti iam proximus rationem allegans operū ſuorum mirabilium, & verborum quæ dixerat, vitæ ſuæ toto decurſu: Sic enim loquitur Iudæis. *Ipſe Pater dixit mihi, quid di-* Ioan. 8.
*cam & quid faciam*: & iterum aliàs. *Ego quæ* 26. 28.
*audiui ab eo hæc loquor in mundo, & ſicut do-* 3
*cuit me Pater hæc loquor* Verba Perpende: *quid*
*dicam & quid faciam.* Hoc ipſis dixit Apoſto- Marc. 13
lis: *Sicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio.* 32.
XIV. Cur Chriſtus non reuelauerit diem iudicii.
Hinc declaratur illud quod dixit locutus de die iudicij. *De die autem illo nemo ſcit, neque Angeli in cœlo neque filius hominis.* Quomodo hoc Domine mi: nūquid tu ille qui huic iudicio præſidebis illudque ſpectantia pro voluntate diſpones? tu ipſe dixiſti, *Pater non iudicat quemquā, ſed omne iudicium dedit filio*: quā igitur ratione dicis te hoc ignorare? prorſus hoc ſciebat, ſed dicit ſe hoc ignorare, vt ſcilicet doceret, & hominibus illud manifeſtaret; quia illis ſolum ea dicturus erat, quæ Pater illi dicēda mandauerat.
XV. Similitudo.
*Ipſe mihi mandauit, quid dicam*: & nullo modo mandauit ille, vt iudicii diem, horamque manifeſtaret: ſicut legatos ea ſolummodo dicenda habet, quæ ſibi à Rege dicenda iniunguntur. De alijs interrogatus, reſpondet ſe nihil horum ſcire: hoc eſt vt illa manifeſtet: quia ſicut illi dicenda non ſunt, niſi quæ Rex illi dicenda imperauit, ſic ea, quæ non imperauit, optimè
XVI. Chriſti obediētia Adæ reparauit inobediētiam.
reſpondet ſe prorſus ignorare. O quanta hæc obedientia, & quidem ex ratione ſtatuit illam vt fundamentum: quia noſtram venerat eadem reparaturus. Sumpſit hæc originem ex prima noſtri parentis inobedientia: rationi conſonum erat, vt ad eius reparationem perfe-

ctiſſima ſtatueretur obedientia, quatenus Apoſtolo dicere liceret : *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obeditionẽ iuſti conſtituẽtur multi.* Deinde quia voluit, vt omnia opera ſua gradus omnes haberẽt valoris, excellẽtiæ, perfectionis meritique poſſibiles, notum autem omnibus arbitror maioris longe meriti cenſeri opus, quod fit per obedientiam ad Deum cum voto, quam illud quod merâ fit & propria voluntate.

*Rom. 5.19*

*2.2. queſt 88. art. 6.*

XVII. Opus bonum ex voto, melius eſt, quã ſine illo.

Quærit Angelicus Doctor, vtrum opus ſit excellentius maioriſque meriti, an illud quod ex nulla facis obligatione eſtque tibi liberum? vel ſit illud agis ad quod te per votum obſtrinxiſti? vtrum melius ſit die Veneris ex libertate ieiunare, quàm ex præmiſſo voto? vtra dignior ſi virginitas, quam puella ſeruat abſolutè ex honeſtate, an illa, quam religioſa ſeruat ad hanc per votum obligata? reſpondet Angelicus Doctor, quod indubiè & extra omnem comparationem multò ſit excellentius magiſque meritorium opus bonum factum ex voti obligatione. Primo: quia tantò eſt opus eminentius, quanto actus virtutis eſt eminentioris & ſuperioris, & euidens eſt quod votum actus ſit virtutis, inter omnes morales eminentiſsimæ: quia illius actus eſt virtutis quam Theologi vocant religionem ſeu latriam: quia cultum & honorem ſpectat ipſius Dei primariò: ita vt ieiunium, quod in ſe actus eſt virtutis abſtinentiæ ſi fiat ex voto, ad qualitatem aſcendat altiorem & fiat actus virtutis latriæ & religionis, quo ad tantam euehitur dignitatem, ad quantam nũmus æreus, ſi fieret aureus. O quanta foret hæc vis, quæ poſſet hoc efficere! quantum laborant homines ſuis vitreis clibanis, vt ex metallo componant argentum, & ex argento aurum, illiſque omne impendunt ſtudium, quo metalla diſtillent ſed omnem magis obtenebrant intellectum & omnem euacuant auro crumenam: non enim patitur Deus, vt rerum naturas, quas creauit, ſuo tranſmutent ingenio, & hoc quod ipſi non poſſunt, & ſi poſſent, vt ſummam arbitrarentur felicitatem, tu ipſe potes in operibus virtutis; etenim extollere potes vnius actus virtutis, quæ eſt metallum, vt auri dignitatem accipiat: ieiunas ex conuenienti ratione, bonus eſt hic nummus, & tritus in materia virtutis: attamen eſt inſtar plumbi, quod ſi huic ieiunio hoc addas, vt facias ad Dei honorem voto te in eius obſequium obligans, per hoc attollis illud vt ſuperioris, inſtar auri, qualitatis: quia efficis vt opus ſit illius virtutis ſuperioris, nempe religionis omnes morales excedentis. Audiamus D. Thomam, *Vouere eſt actus latriæ quæ eſt præcipua inter virtutes morales. nobilioris autem virtutis eſt opus melius & magis meritorium. Vnde actus inferioris virtutis eſt melior & magis meritorius ex hoc, quod imperatur à ſuperiore virtute, &c.* Hoc eſt (inquit ille) quod dixit nobis D. Auguſt. virginitatem tantò digniorem eſſe, quantò magis ex Dei amore cuſtoditur: vnde dicitur illa præcellentior, quæ ſeruatur, quia voto particulari hanc quis promiſit Deo cuſtodiendam, qualis eſt religioſorum: bona eſt & meritoria virginitas quæ ſeruatur amore caſtitatis, ſed abſque vlla comparatione dignior illa quæ ſeruatur, quia ſeipſam voto particulari obtulit Deoque conſecrauit. Vter ſe magis ſubiicit, an ille, qui opus bonum facit, ex libera faciendi voluntate, vel ille, qui facit illud ſuam ipſam ad faciendum obligans voluntatem? *Ille qui vouet aliquid & facit, plus ſe [illegible] eo ſubijcit, quã ille qui ſolum facit: ſubijcit enim ſe Deo non ſolum quantũ ad actũ, ſed etiam quantũ ad poteſtatẽ: quia de cætero non poteſt aliud facere: ſicut plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus ſuis, quã qui daret ei fructus tantũ, ſicut dicit Anſel.*

*Lib. de virgin. cap. 8.*

*Lib. de ſimilitudinibus c. 84.*

Addatur his tertia ratio: quia qui ſe per votum obligat ad bonum aliquod opus; voluntatem habet magis determinatam & vult vt ipſa tantò ſit in Dei famulatu conſtantior: hinc excellentiam collige religioſi ſtatus, in eo enim qui verè religioſus eſt, faciendo quidquid facit per virtutem obedientiæ, actus ille virtutis, qui in eo eſt velut nummus plumbeus ad bonorum lucrum æternorum in ipſo eſt velut aureus. Perpende quas tibi poteſt adferre prærogatiuas, quantumque fallaris, cogitans: quia die veneris ex tua ieiunaſti deuotione, quòd plus merueris, quàm religioſus, quem dicis ad hoc voto conſtrictum eſſe particulari; hoc ipſum eius ieiuniũ reddit magis meritoriũ, multoque præcellentius: tu quoque, qui tibi blandiris, quod plus feceris, quàm omnes religioſi, tuum vnico die inhoneſtum mortificans appetitum: & caſtus ſis, te ipſum fallis: etenim extra omnem comparationem multo excellentior & meriti longè maioris eſt viri Eccleſiaſtici & religioſi per votum ſeruata caſtitas quam tua ſic ſeruata ſimpliciter; nolim tamen idcirco dicere, vt te votis obruas: nam illa

32 XVIII. Altera datur huius doctrinæ ratio.

XIX. Dignitas ſtatus Eccleſiaſtici ratione votorũ.

facienda

facienda non ſunt abſque conſilio magnáque conſideratione.

XX. Idcirco Chriſtus omnia opera fecit ex obedientia.

Hac igitur de cauſa Chriſtus voluit vt quidquid ageteret, atque operaretur, quantos paſſus progrederetur, imo quot verba loqueretur, illa omnia ex obedientia ad Patrem ſuum cæleſtem exerceret: hoc eſt: *Aures perfeciſti mihi, ecce venio*, Præſto ſum Pater mi & venio, vt moriar, vitamque meam tibi conſecrem in holocauſtum. Ego quantum ex me eſt, iam paratus ſum, & hoc ipſum exopto: ſed eſſe debet hoc ſacrificium iuxta voluntatis tuæ diſpoſitionem. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam Deus, &c.* Hæc verba *in capite libri*; quidam interpretantur quòd ſignificent hoc primum & principale; ſic enim loqueris Domine, hoc ſtatuendum eſt in capite libri, id eſt, hoc primò ſtatuendum in hoc ſacrificio, nimirum; vt illud iuxta voluntatis tuæ beneplacitum offeram, eo tempore eoque modo, quo tu volueris, mihique præſcripſeris: non eſſe debet vt quondam illud Saulis: quia namque tempus à te diſpoſitum non obſeruauit, illum ſceptro regnoque deturbaſti.

XXI. Quid ſit in capite libri.

Alias alij proferunt expoſitiones conſideratu digniſſimas: cæterum propoſito ſeruit illa D. Ambroſ. Credit enim quòd loquatur de libro Pſalmorum, cui dat principium, & ſtatuitur vt caput Pſal. primus velut quidam prologus eiuſque principium, Vnde *in capite libri*, idem eſt ac ſi dicat. In principio illius libri, & ſic ſe res habet: nam in iſto primo Pſalmo

XXII. Primus Pſalmus de Chriſto loquitur.

ſecundum plurimum SS. opinionem ad litterã de Chriſto loquitur, cui non ẽ aſsignat beati viatoris quia hoc proprium fuit Chriſto, qui pariter beatus erat & viator, vt declarãt Theologi. *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, &c.* q.d. quod primò Chriſtus nihil mali fecerit, nec in via peccati vel ad paſſum vnum ambulauerit. Secundò quod in omnibus optimè ſe geſſerit: at quomodo? *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte: & erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Agglutinatam habebit ſuã legi Dei voluntatem: nec enim aget aliquid, nec verbum proferet, nec miraculum operabitur, niſi iuxta Patris ſui voluntatem: proinde fructus ſuorum bonorum operum proferet dabitq; *in tempore ſuo*: quod eſt tempus ſuum? illud ſcilicet quod Pater illi deſignauit q. d. erunt fructus mei non præcoces ſed maturi.

Pſal. 1. 1.

XXIII. Fructus dandi ſunt in tempore ſuo.

O quanti referret vt operum tuorum bonorum fructum in tempore ſuo proferres vt maturi eſſent, non crudi, non virides, non indigeſti, non tempore collecti intempeſtiuo. Confeſsiones tuæ poſt attentam conſiderationem & criminum tuorum contritionem eorumque grauitatis expenſionem: vt enim notat D. Ambroſ. ſæpe Domino noſtro non ſunt acceptæ, ex eo quòd illas feſtinatò nimis & nullá peragas recollectione: conſulit autem vt tibi dicta ſentias, quæ Dominus dixit ad Cain. ſecundùm lectionem Septuaginta, quam ipſe ſequitur. *Peccaſti? quieſce, ad te conuerſio illius.* Qui Deum offendit, & quærit ſibi remedium, modicum quieſcat, perpendens quæ fecerit, culpæque grauitatem; ita vt eius dare poſsit rationem in iudicio confeſsionis, ſuam agnoſcens maliciam, cui debet imputare culpam; caueat autem ſibi, ex conſilio D. Ambroſij, ne accedens non præmiſsá neceſſariá præparatione, nedum non hauriat ex Sacramento commodum, ſed inſuper nouæ culpæ reatum. *Ne in ipſa pœnitentia fiat, quod poſtea indigeat pœnitentia*, tuas ſimiliter fac communiones, attentam præmittens conſiderationem illius Domini maieſtatis, quem iam es recepturus: vt enim eſt vita bonis, ſic eſt mors malis: tuum teſtamentum præmiſſa confeſsione, communione & cum Deo reconciliatione, vt exiſtens in Dei gratia pia tua, clemens ad gloriam accepter legata ſempiternam: tuas eroga eleẽmoſynas poſtquam reſtitutioni & iuſtitiæ ſatisfeciſti obligationi *in tempore ſuo.*

D. Amb. lib. 2. de pœnit c. 10. & 12 Tom. 4.

Gen. 4. 6.

XXIV. Chriſtus vt ſol feſtinauit, ſed iuxta Patris voluntatem.

Hoc Chriſtum feciſſe cognoſcimus, qui mortem oppetere pro hominibus atque ſeipſum in ara crucis offerre deſiderat, ſed cohibet ſe, vſque ad tempus ſibi à Patre præordinatum. Eſt ipſe diuinus ille ſol de quo teſtatur Spiritus S. qui licet celerrimè procurrat, tamen non niſi iuxta diuinum feſtinat bene placitum. *Magnus Dominus, qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinauit iter.* Præpoperè feſtinat Sol ille diuinus voluntate feruens, ſed ſecundũ Domini volũtatẽ. *In ſermonibus eius feſtinauit iter.* Horã iam imminente qua currit velocitate? quãdo iam tempus aduenerat, quo moreretur teſtãtur Euangeliſtæ, quòd adeo præceps feſtinoq; paſſu procederet, vt non parum mirarentur Apoſtoli; imo etiam timerent: dum in eo quid ſpectant tam inſolitum: *Erant autem in via aſcendentes Hieroſolymam, & præcedebat illos Ieſus, & ſtupebant, & ſequentes timebant.* Cumque

Ec. 43. 5.

Marc. 10. 31.

Dominus eos cerneret turbatos, ſeorſum euo-
cauit, aitq; : an ignoratis, quò tam feſtinus ve-
loxq; properem? vt manibus moriar inimico-
rum: quid hoc? iam nunc illos effugiſti, & modo
ſic properas vt illis te tradas occidendum? vti-
que. iam enim acceſſit hora: deinde menſæ re-
cumbẽs noctu in cœna, de qua ſurgeret ad Paſ-
ſionem, ait illis: ſubſilit præ gaudio cor meum:
iam enim imminet hora, quàm tantopere totâ
Luc. 22. vitâ deſideraui: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha*
15. *manducare vobiſcum* vnde ſic ait Iudæ: *Quod*
Ioan. 13. *facis fac citius*: & ille ipſe præcedit ad hortum
27. anteſignanus, in quo cõprehendendus erat, aitq;
Ioan. 14. diſcipulis ſuis: *Surgite eamus hinc*. Pariter &
31. ipſe obuius illis procedit à quibus capiendus
Ioan. 18. erat, illiſq; cum non agnoſcẽtibus ſeipſum, ma-
25. nifeſtat: & ait: *Ego ſum*. Petrum autem conatũ
Ioan. 18. 8. eius paſſionem impedire, reprehendit, ac prohi
bet ne perturbet calicis hauſtũ, ad quem tamdiu
anhelauerat: *Calicem quẽ dedit mihi Pater* &c.
Nunc igitur, quia nondum venerat hora eius,
ſecedit, petitque Galilæam.

§. 12. Dixerunt ad eum fratres eius: Vade hinc &c. *Nonnulli de Chriſti parentibus in fide deficiebant, atque de eo credebant, quod hinc eſſet ambitioſus, & illinc puſillanimis.*

☞ 33.
I. Quale feſtũ fuerit Scenopegia. Leuit. 9. & Nu. 29

ERat autem in proximo dies feſtus Iudæorũ, Scenopegia: dixerunt autem ad eum fratres eius: tranſi hinc.* Cum Dominus tãto tempore hæreret in Galilæa, feſtumq; approximaret dictum Scenopegia: erat hoc feſtum inter alia ſolemniſsimum, tertium Paſcha Iudæorum poſt illud agni Paſchalis, & Pentecoſtes à Deo inſtitutum; incipiebat quintâ decimâ Septembris, collectis iam terræ frugibus & omnibus ob meſsis collectionem lætantibus ſeptiduo celebrabatur, quod in campis tranſigebant erectis ibidem caſulis ex ramis Oliuæ, Laurus, & Salicis, omniumq; arborum frondentium, quæ foliis ſuis oculos viſumq; recreãt: ſic enim Dominus ait hoc feſtum inſtituens, quæ poſtmodũ repetiit Nehemias: *Egredimini in montem & afferte frondes oliuæ, & frõdes ligni pulcherrimi, frondes Myrti, & ramos Palmarũ.* Celebre fuit hoc feſtũ magnoq; gaudio Hieroſolymis exiliebant deni & deni, duodeni & duodeni, centeni & centeni iuxta familię quantitatẽ: cãtabãt omnes promiſcuè viri ac mulieres, ſeniores & iuniores, pauperes & diuites, omnes Palmarum ramos, vel oliuarum manibus geſtantes, aliarumq; arborũ frondes, ex quibus tentoria componebant, & quædam penſilia tegebant tabernacula, in quibus morabantur, comedebant, pernoctabant totoſſeptiduo, delectationibus ſuis, & gaudiis indulgentes, vſq; in diem octauum eumq; celeberrimum. Feſtum celebrabant etiam ſollemne ad certas collectas faciendum inſtitutum, quibus expenſis tabernaculi neceſſariis conſulebatur: inſtituit Deus hoc feſtum eo fine, vt Iudæis in memoriam reduceret quadraginta illos annos, quibus illos duxerat per deſerta peregrinos omnis laris, tecti, & parietum inopes, in tabernaculis, tentoriis, caſuliſq; cõmorantes; ad hanc ſolemnitatem ex Dei præcepto Iudæi omnes conueniebant, ex quacumque regione eò confluentes: vnde concurſus erat eorum in Hieruſalem innumerabilis.

II. Qui dicantur fratres Chriſti.

Appropinquante igitur hoc feſto Chriſti parentes ſeu cognati illum adierunt, hortati quatenus cum illis aſcenderet; appellat illos Euangeliſta *Fratres eius.* Exſibilat Diuus Hieronymus Heluidium hæreticum: eo quod ex [...] illis inuerecundam quam tenebat, hæreſim confirmaret; aiebatque quod quamuis Virgo Sanctiſsima parens illi eſſet puriſsima quando Chriſtum peperit, poſtmodum tamen eſſe deſierit, aliosque filios ex Ioſeph genuerit, qui ſunt illi, quos Euangeliſtæ vocant fratres Chriſti. Ineptiſsima eſt hæc hæreſis (inquit Diuus Hieronymus) præterquam quòd impia & inuerecunda ſit blaſphemia: quia nihil in Sacra Scriptura frequentius, quàm nomen fratrum imponere, nedum illis qui vnius parentes ſunt filij, ſed etiam cognatis & conſanguineis: ita D. Paul. teſtabatur ſe libenter mortem pro fratribus ſuis oppetere: *Pro fratribus meis*: quòd ſi ab illo quæras, quinam ſunt illi: reſpondet: *Qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*. Eodem ſenſu Deus hanc legem ſanciuit. Quotieſcumque frater tuus inopiâ preſſus ſeipſum in ſeruum vendiderit, ex lege permittitur, vt *Qui voluerit ex fratribus ſuis redimat eum.* His appoſitè profert Diuus Hieronymus alia multa loca Scripturæ.

Tract. cõtra Helvid. T. 2.

Rom. 9. 3.

Leuit. 25. 48.

Hoc conceſſo, illi quos Euangeliſta nominat fratres, quidã erant illius conſanguinei, eò quòd Virgini Mariæ eſſent affines, vel D. Ioſeph, quem eius credebant Patrem, conſanguinei: ſic illud intelligunt D. Chryſ. a. D. Aug. b. D. Hier. c. & cæteri prope omnes: de illis igitur ait

a Ho. 47. in Ioa. T. 3
b Tr. 28. in Ioa. To. 9.
c In c. 1. ad Gala.

Euange-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Euangeliſta: *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Iam nobis indicarat Euangel. Marcus quod dum Dominus die quodam maximæ prædicaret populi multitudini: quidam de cognatis eius eum in tantum deſpexerunt, vt eum haberent tanquam amentem & arreptitium: ideirco manus illi iniecerunt, & ligare eum voluerunt: *Cum audiſſent ſui exierunt tenere eum: dicebant enim: quoniam in furorem verſus eſt.* Igitur illi non ſolum non bene de Chriſto ſentiebant ſed male, teſte Diu. Chryſoſtomo, quia primò crediderunt Chriſtum ambitioſum eſſe & in hoc mundo terrenam gloriam, applauſum populi, laudemque aucupari. Secundò, crediderunt vecordem eum eſſe, & puſillanimem: cum enim hoc optaret, modumque haberet, & tempus illud obtinendi ex ijs quæ de ipſo præclara ſpargebantur: tamen latebras quæreret, Iudæâ diſcederet, & Hieruſalem desereret, locum totius regionis illi ſtriorē vnde ſic illi: vade illuc: qui namq; nominis ſui quærit æſtimationem, non ad angulos confugit, & ſub tectorum vmbra latiat abſconditus.

*Mar.3.21* III. Quę fuerit fides fratrum Chriſti. *Hom.47. in Ioan.*

Porrò multum in omnibus his aberrabant: præſertim in eo, quòd crederent Chriſtū mundi gloriæ vanæque laudis ardelionem. O quantum à vero deliratis: an ergo de cœlo deſcenderet in terram, vt vilem adeo, vanam, & nullius rei ſubſtantiam conquireret, quæ inſtar ſtuppæ lini accenſæ ſubitò euaneſcit? *Sic tranſit gloria mundi.* Certè magnum ſibi lucratus fuiſſet denarium diurnum tantum aggreſſus iter, vtpote de cœlo in terram; ſecum inde omnia conferens bona, ſi tales prætenderet merces, lucrumque viliſſimum: rationis impos cenſeretur ille mercator, ſi diuitias ſuas mercibus adeo immundis impenderet.

IV. Sed multū aberrabant.

34 Melius intellexit diuina ſponſa ſponſi ſui diuini cogitationes & intentum: quando vt eum agnoſceremus, nec cenſuram faceremus ſic ab omni ratione cum illis alienam, nobis illum membratim deſcribit atque delineat primò, caput: de quo ſic illa: *Caput eius aurum optimum:* Illico capillos è capite promanantes: *Coma eius ſicut elata palmarum.* Non eſt leue negotium explicare quid ſint *Elatæ palmarū.* SS.PP. Græci interpretātur abietes eſſe excelſas, & in altū erectas, quæ cœlum tangere videantur: vnde ſic legunt: *Sicut abietis.* Ita Diu. Gregor. Nyſſen. D. Max. D. Nylus & tres Patres quos refert Theodoret. imo etiam inter Latinos D. Ambroſius, Beda & Paul. ſed lectio communis habet *Elata Palmarum.* Elatæ ſiquidem propriè ſunt illæ ariſtæ quas dactylis fœcunda producit; tamen in hoc loco ſignificat ramos illos de medio ſtipite prodeuntes, quos communiter dicimus Palmas & dicuntur *Elata* quia ſurſum erectæ ſunt: vnde alij legunt *Thirſas*, imo prætendit Rupert. illas dici *Elatas quaſi eleuatas* cui ſuffragatur Caſſiodorus cum aliis: quàm eleganter ſponſa deſcribit ſponſi ſui cogitationes & intentiones, dum ait: *Caput eius aurum optimum.* Caput ſponſi, ſi D. Paulo credimus, eius eſt diuinitas: *Caput Chriſti Deus.* De illo qui verè Deus eſt, quas ſperare debes cogitationes? an terrenas, viles, abiectas, & animales, tales veſtræ forent, quia cum terreni ſitis lutique figmentum, omnes veſtræ cogitationes terrenæ ſunt, & de terrenis, veſtra deſideria, veſtraque ſtudia diuitijs incumbunt terrenis acquirendis, bonis terrenis, delitiis terrenis, & terrenis honorum dignitatibus: *Qui de terra eſt, de terra loquitur,* quam gloriam poteſt homo verè carnalis & miſerabilis, niſi carnalem & terrenam: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri.* Hoc optimè compertam habebat Pſaltes ille regius, dum ait: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.*

V. Chriſti cogitationes & intentiones quales fuerint. *Cant.5.15.*

VI. Quę ſint elatę palmarum.

*1.Cor.11.*

VII. Quales ſint noſtræ.

*Ioan.3.31* *Iſa.40.6.* *Pſ.16.11.*

Porrò qui verè eſt Deus, cogitationes habere debet, & intentiones Deo dignas, & prætendere, quæ Deo ſunt digna, de quo Dauid canit, tantam eſſe cogitationum illius celſitudinem vt cenſeat illi comparari poſſe neminem: *Cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.* Cogitationes illius rami ſunt Palmarum cœlum verſus erecti: nam æterni Patris intendit laudem & gloriam, cœli reparationem, animarumque remedium; quare tales pariter habere conuenit eum cogitationes, qui diuinam participat eſſentiam per gratiam, eoſque qui per eam ſunt filij Dei, omneſque Chriſtianos qui per Baptiſmum ad nouum eſſe cœleſte renaſcuntur. Non eſſe oportet eorum cogitationes adeo viles, & abiectas (monente Diuo Chryſoſtomo) vt in terra remaneant, illiſque placeant terrena atque ſatisfaciant: ſint elatæ in cælum & ea non prætendant, quæ ipſo Deo ſunt inferiora.

*Pſ.39.6.*

Inſuper ea de cauſa (ſicut expendit idem D. Chryſoſt.) referunt Euangeliſtæ, quod Chriſto baptizato: *Cœli aperti ſunt ſuper eum & vox Patris audita eſt: hic eſt filius meus dilectus &c.* Ex quo tibi perſuadeas quando baptizaris, *Matth.3 Marc.1. Luc.3.*

gloriæ diuulgari: *Si hæc facis maniféſta teipſum mundo.* Si in rei veritate opera ſint miraculoſa, nec imposturæ, nec præſtigia oculorum, per illa te ipſum mundo manifeſta; eò aſcende, vt per hoc omnes tibi bene affecti, & diſcipuli videant opera quæ facis obſtupenda, cæterique omnes tanto te honore colant, quanto par eſt te venerentur: vnico verbo, proprium ſectabantur illi commodum, atque vt Chriſto tendenti Hieroſolymam, & ibidem patrante mirabilia, ipſi per hoc nomen ſibi, dignitatem, laudemque conquirerent. Miror vehementer, quòd ſex præcedentibus luſtris illum vt ſibi cognatum non cognouerint, nec eius recordati fuerint, nec eum aſpexerint, nec magnificerint: at modo dum honoratum eum cernunt, & magni nominis virum, cuius fama fideſque quotidie noua ſumebat incrementa, cum vt ſibi parentem agnoſcant, in quantum illis poſſit eſſe honori & vtilitati.

III.
Amici pauperes à diuitibus non cognoſcuntur.

Quam familiare mundo eſt, cognatum te non agnoſcere, nec tui meminiſſe, dum pauper es. Pauperem vitam agebat Dauid in montibus oberrans, à facie Saul ſoceri ſui profugus, & ecce nuntium mittit viro opulento nomine Nabal, fruſtum panis amore Dei efflagitans, & ea quidem occaſione, in qua domi illius panes redundabant (a) vt primum audiuit ille nomen Dauid, reſpondet; *Quis eſt Dauid & quis eſt filius Iſai?* Quid mihi cum filio Iſai? quid illi mea intereſt: Notandum ex ſacris litteris Nabal fuiſſe ex progenie Caleb: ad quid hoc adiungitur? vt ſcias cognatum fuiſſe Dauidis, eo quòd ex eadem ortus eſſet tribu Iuda, ex qua Dauid ducebat originem atque hinc addiſcas, ſi quis inops ſit, quantumlibet affinis ſit diuiti & conſanguineus dicetur: *Quis eſt Dauid?* Nec eſt quidquam adeo tædioſum & abominandum, quàm pauper conſanguineus: *Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit: amici verò diuitum multi.* Verbum illud, *Proximus*, idem eſt ac *Conſanguineus*. Ceterum ſi promouearis atque ad altiores aſcendas gradus dignitatum de terra examina eorum exurgunt & exercitus, & quàm primum te viderint laude & nomine præclariorem, illico te conſpiciunt, tibi loquuntur, tibi adhærent, tibi agglutinantur, inſignia de te diuulgant (a) atq; vt lupi caput extollunt vt ſibi tuo nomine famâque proſpiciant: dicit hic patruus meus, dicit alius ſobrinus meus, dicit alter ſocer meus.

(a) *Yuan rodando los panes porſu caſa.*
*1. Reg. 25. 4.*
*Pr. 14. 20.*
(a) *Hazē de vos la cabeça de lobo.*

☞ 56 Cœleſtibus quibuſdam coloribus depinxit Deus vatis Danielis penicillo Græcorum monarchiam in figura hirci: *Hircus habebat cornu inſigne, inter oculos ſuos:* quia monarchia Græcorum principem habuit excellentiſſimum, Alexandrum ſcilicet magnum, eius monarchiæ principium: appellat illum cornu, ratione potentiæ ſuæ, nam per illum & cum illo Græci dominium obtinuerunt mundi: vocaturque *Inſigne*: quia reliquis Græciæ Regibus eminebat: nam idcirco dicitur de illo: *Qui primus regnauit in Græcia*: non quòd omnium eſſet primus, ſed quia cæteros famâ factiſque præcurrebat. Quod autem dicitur *Inter oculos ſuos*, exponunt aliqui ita dici, quia Alexander Magnus continuam cum viris doctis & Philoſophis habuit familiaritatem, nominatim autem magiſter fuit Ariſtoteles, cuius conſilio & directioni ſe committebat: etenim fatentur omnes oculos ſignificare ſapientes, qui ducunt & illuminant Rempublicam, omneſque in ea viuentes erudiunt.

IV.
Alexandri magni Hieroglyphicũ exponitur.
*Dan. 8. 5.*
*1. Mat. 1. 1*

Verum alij intelligunt ex rerum euentu quod quàm primùm ſuâ virtute incæpit ſeipſum in in mundo iactare potentiorem, millia populorum qui prius illum deſpiciebant ad illum oculos ſuos conuerterunt, & conati ſunt illi ſe coniungere, illius adhærere parti, hic illô titulô alter aliô: Hoc etenim familiare, & frequens eſt in orbe, vt à fratre paupere fugiant eumque ipſi domeſtici nolint agnoſcere; prout de ſeipſo teſtatur Iob: nam licet domus non eſſet vlla magis frequentata, nec vir illo celebrior, ad quem paſſim recurrerent, dum diuitiis abundabat: & non eſſet qui non ſtuderet omnimodè illi adhærere: quam primum tamen facultatibus exuitur, priuatur valetudine, & in ſterquilinium exuitur: ita vt omnes illius parentes, amici, familiares, & ſerui viderent nihil ab eo vlteriùs exſpectandum, illum continuo deſeruerint, Rex erat, conſilia celebrabat, prætoriis & tribunalibus præſidebat, eiuſque domus numquam vacua deſerebatur: verùm vt diaboli operâ, Deo permittente proſternitur, nec quidem faciem: quâ miſerum videant, ad eum conuertunt: *Fratres meos longè fecit à me, & noti mei, quaſi alieni receſſerunt à me, dereliquerũt me propinqui mei &c. & ancillæ meæ &c. ſeruum meum vocaui & non reſpondit, abominati ſunt me quondam conſiliarij mei &c.* Et quales Chriſtum accedant amici illius, dũ opinantur eum aſcendere Hieruſalem, atque ex

V.
Fratrem ſuũ pauperē nemo agnoſcit.

VI.
Iob pauper ab omnibus deſeritur.

VIII. Quid ſignificet quod Chriſto baptizato aperti ſũt cœli. 2. Cor. 4. 34.

à Deo tibi per eius miſericordiam concedi, vt ſis filius illius per gratiam & idcirco tibi cœlos aperti, quatenus eò veſtræ tendant cogitationes, eò veſtræ dirigantur curæ, eò veſtræ aſpirent pretenſiones, quo tibi cœli pateant hinc excedenti. Quam bene nos monuit de hoc Apoſtolus: dum ait: *Quod momentaneum & leue eſt tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ non videntur æterna ſunt.* Quâ igitur ratione anima, quæ æterna eſt, contenta erit iis rebus, quæ vento mobiliùs euaneſcunt? Spiritus qui ſemper victurus eſt qua ratione credet ſibi ſatisfactum eò quòd cras interierit? magna quærite, præclara ſectemini & inhiate ſempiternis.

§. 13. *Voluerunt parentes illi, Chriſti parentelam ad ſuum trahere emolumentum: frequens eſt hoc in mundo.*

☞ 35 I. Dilēma fratrum Chriſti.

TRanſi hinc, *& vade in Iudæam* &c. mihi perſuadeo, quòd affines illi Chriſti dubii hæreren; quamuis enim in eum non crederent, notabant tamen præclara eſſe quæ de miraculis illius toto clamante mundo prædicabantur, & in eo quidem iudicio in biuio ſtabant inceiti: laboremus vt aſcendat in Hieruſalem, quæ eſt Metropolis & regni noſtri caput: vel vera ſunt vel falſa, quæ de cognato noſtro ſparguntur. Si vera ſunt, & tendat in Hieruſalem, magnificabitur & paſſim honorabitur noſque omnes cunctis hominibus faciet eſſe feliciores. Si falſa ſint, & ipſe impoſtor ſit, ibidem ſapientes noſtri & Doctores inquirent, eumque punient, nos autem erimus indemnes: eſt hæc improborum conditio, de quibus ſic Dauid: *In circuitu impij ambulant.* Cum enim

Pſ. 11. 9.

à proprio incipiant lucro, in illud etiam eorum terminantur intentiones, ex hoc inflati erant & proprio commodo ſtimulati mouebantur: illos omnes conſidero pleno concilio congregatos, hæc inter ſe conferentes: certo certius

II. Conſiliũ parernũ Chriſti, ſuo commodo inhiantiũ & honori.

dicetur nobis, quòd Deus noſtram familiam honorare dignatus ſit viro præclariſsimo, qui ſi famæ veritas reſpõdeat, æqualis eſt Eliæ, Eliſeo, Iſaiæ & Hieremiæ, quos mundus extulit, vt dignitate primarios: quia luce clariùs opera eius omnibus patent obſtupenda, viro, inquam, tantâ ſapientiâ dotato, vt nullis præmiſsis ſtudiis puncta proferat adeo ſublimia Theologiæ, vt ipſos legis Doctores & mundi ſapientiores rapiat in admirationem, & concludat ora diſputantibus: ex alia parte vir eſt adeo ſegnis & impellis animi, vt nec ſibi, nec nobis valeat eſſe præſidio. Ex hac parte ſublimes voluit mente cogitationes, atque ex altera notamus illum puſillanimem: altero dic, quia ſibi non poterat eſſe ſubſidio, nec vti fortuna, illum in Regem non extulerunt ſi namque fuiſſet cum illis, qui illum vt talem volebant, adiuncto ſibi familiarium & amicorum fauore multorumque aliorum præſidio, quos ſibi deuinxerat, nec non mille millium qui ſe illi in Hieroſolẽ oſtendebant eſſe beneuolos, illam intrare potuiſſet inoffenſus, nec quiſquam illi reſtitiſſet aut quæſtionem mouiſſet, (a) atque poſſeſſionem ciuitatis, ac templi clauesque ſibi aſſumpſiſſet: ſed omnia ei de manibus lapſa perierunt, en hominem ſibi ipſi inutilem: Miranda hic patrat in diſerto prodigia, loquendo & ore gemmas eiiciendo, vbi fulgorem ſuum non explicant: quod ſi Hieroſolymam aſcenderet & ex vno, & ex altero fieret eius Dominus; ratio ſuadet, vt hoc illi ſuadeamus, & ad iter ſuſcipiendum exhortemur.

(a) Nil lance inhieſti.

Ad hoc, vt opinor, ſeorſum illi dixerant quod narrat Euangeliſta: Domine mi, cognate, vel auuncule, vel conſobrine quid hic iam bimeſtri moram trahis vir, qui parem ſibi non videtur habere, tot ſtupendis illuſtris facinoribus, fama ſic narrante verificâ, vt quotidie ea de cauſa nobis congratulentur; nobis inquam, quibus te norunt eſſe conſanguineum. Ex vna parte videris velle honorem tui nominis affectare, ſed ex altera vecordem oſtendis te eſſe atque fugitiuum. Iam de manu vtenſilia proieciſti fabrilia & aliam iniiſti vitæ rationem, modumque agendi ſuperiorem, ſi vir eſſes honoris auidus, alia longè veſtis radiaret in te eaque fulgentior: hoc igitur negotio conuenit: vt quandoquidem iam Paſcha prope ſit Scenopegiæ ad quod totus in Hieruſalem confluit mundus, animos ſumas generoſos: & eò aſcendas teque mundo manifeſtes: *Tranſi hinc & vade.* Vade famam tibi conquire ſempiternam, loca ſcandè publica, proficiſcere Hieroſolymam in feſto adeo ſolemni: etenim confluxus eſt ibi generalis: nedum, Iudæorum, ſed etiam gentilium: imo de cunctis mundi nationibus, eo aduolant, vnde in momento temporis per orbem vniuerſum poterit tuæ famæ

gloriæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eo ſperare poſſunt honorem ſibi & emolumentum? quantâ curâ ſtudent, vt aſcendat Hieruſalem, non vt illius conſulant honori, ſed vt inde ſibi beneficium aucupentur.

Hic D. Cyrillus credit impletum Hieremiæ vaticinium: *& domus Patris tui, etiam ipſi pugnauerunt aduerſum te, & clamauerunt poſt te plenâ voce; ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.* Graui te bello fratres tui moleſtabunt. In quo in eo quod tibi locuturi ſint *Plenâ voce*, id eſt adulatoriè, palpando cum ſtrepitu, & arrogantia: ne credideris eis, quantumlibet tibi videantur bona loqui, tuumque proſpicere commodo *Cum locuti tibi fuerint bona*: non enim tua quærunt, non tuas ſectantur vtilitates, ſed proprio inhiant emolumento quoties replicant illud: attende Domine, honori tuo conuenit aſcenſus ille in Hieruſalem, quo te mundo manifeſtes, tibique concilies auctoritatem: *Ne credas eis*: proprij namque ſunt lucri & vtilitatis amatores: eâ etenim intentione perſuadent illi, vt aſcendat Hieruſalem, ſi ſiniſtrè res euenerit, ille damnum patietur: ſi pro voto ſucceſſerit, nobis cedit emolumento. Hoc erat illi bellum ſuſcitare: quia realiter eum tradere geſtiebant manibus inimicorum, quamuis ex deſiderio honoris eius loqui viderentur.

Hier. 12. 6.
VII.
In talibus amicis impletur Hierem. vaticinium.

§. 14. Tempus meum nondum aduenit &c. *Fratres illi non intelligebant de Christo, quòd exaltationem ſuam in Cruce fundaret, ſicut ſerpentis in ſtipite: Hoc ipſum nos intelligamus.*

37
Tract. 28. in Ioan. Tom. 9.
I.
Chriſtus duabus reſpõdet eorum obiectionibus.

R*Eſpondet illis Dominus: tempus meum nõdum aduenit; tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* Opinatur D. Auguſt. quod Dominus ad duo ſibi ab ipſis propoſita reſpondeat. Primum erat, quo conabantur eum inducere, vt aſcenderet Hieroſolymam, quo fieret illuſtrior, honorabilior, dignior, & ab omnibus cultu exceptus eminentiori. Secundum quo illum vt vecordem notabant, & ad tectorum vmbras confugientem: ad primum his verbis reſpondet: *Tempus meum nondum aduenit.* Tempus ſuum eſſe dicit, illud ſuæ glorificationis, honoris, & exaltationis, q. d. (inquit D. Aug.) vos ſemper eſtis parati, vt honorem, quietem, & gloriam aucupemini: nec aliud intenditis: ego verò nequaquam: etenim antequam exaltabor, & honorabor, humiliari debeo, deprimi, & occidi; nondum venit hora mea, quâ exaltari debeam vt rex & vt talis adorari. Vos autem ſemper eſtis parati, vt honores accipietis vobis occurrentes, & parentibus oſtiis intromittatis: tempus gloriæ, Chriſti viriqueChriſtiani nondum venit decurrente hac vita: hæc enim laboribus deſtinatur; nec adueniet niſi præcedãt dolores, & aduerſitates. Hæ namque lectum ſternunt quieti.

Obſcura ſunt illa D. Petri Apoſtoli verba, quæ Spiritus S. ipſo teſte locutus eſt per prophetas, iiſque inſpirauit, vt Chriſti paſſiones prædicerent, & poſteriores glorias: *Eas quæ in Chriſto ſunt paſsiones & poſteriores glorias*; Quænam ſunt illæ gloriæ poſteriores? ordinem perpende: paſſiones & gloriæ: has Chriſtus ſuper omnes erat habiturus, ſed ordine quodam, vt præcederent paſsiones, & cruciatus: gloriæ verò ſubſequerentur; ita et gloriæ non aduenirent, niſi paſsiones præceſsiſſent; poteſt hoc declarari ex eo quod notat, Tertull. *a* quem ſpectare videtur D. Hieron. *b*, quòd Chriſtus fauum mellis comederet, ſed non niſi à mortuis iam rediuiuus, & poſtquam fel guſtaſſet: *Fauos poſt mella guſtauit.* His appoſitè proſequitur Diuus Hieron. oſtendens quod tempus minimè veniet, quo Chriſtianus fauum gloriæ ſit comeſturus, de quo dicitur: *Hereditas mea ſuper mel & fauum*: niſi poſtquam guſtauerit fella ieiuniorum, perſecutionum, aduerſitatis: nec mirum eſt, inquit ille: nec enim Sampſon fauum guſtauit mellis, niſi prius cũ leone decertaſſet; & niſi eum ſuperaſſet fauum mellis non inueniſſet. Nondum, ò Chriſtiane tempus aduenit quietis tuæ, nec gloriæ tuæ; hoc enim in cœlo futurum eſt. Maurus, Arabs, infidelis hic ſuam gloriam obtinet, & quietem, & ſemper ad hanc recipiendam eſt paratus; vos autem, qui æternam ſperatis & perpetuam laborum præmium, dolorum mercedem, his prius vos ipſos impendite.

II.
Quæ fuerint in Chriſto poſteriores gloriæ.
1. Pet. 1. 11.
a Lib. de corona Militis cap. 14.
b Ep. 27. Manſio 25. To. 1.
Ec. 24. 27

Expendit D. Auguſtinus illa Dauidis verba in perſona Chriſti prolata: *Tu cognouiſti ſeſsionem meam & reſurrectionem meam* Loquitur, inquit ille, æterno Patri, & ait: tu Pater mi, æternâ tuâ decreuiſti ſententiâ (hoc eſt *Cognouiſti*) humiliationis meæ tempus pariter & glorificationis: *Seſsionem meam & reſurrectionem meam, quid hic ſeſsio? quid hic reſurrectio? qui ſedet, humiliat ſe ſedit ergo Dominus in Paſsione ſurrexit in reſurrectione. tu, inquit, hoc cognouiſti, id eſt, tu voluiſti, tu approbaſti ſecundum*

Pſ. 135. 2.
III.
Chriſti reſurrectionem præceſsit eius ſeſſio, id eſt humiliatio.

*tatem tuam factum eſt.* Hoc eſt quod æternus Pater diſpoſuit, vt tempus præcederet mortis, & humiliationis, & deinde gloriæ ſequeretur & reſurrectionis, prius locandum eſt ædificij fundamentum, quam parietes & trabes erigendi, quibus domus innitatur; fundamentum eleuationis Chriſti, eius erat humiliatio, dolores, & mors crucis amariſſima, hoc teſtatur Apoſtolus; *Humiliauit ſemetipſum Dominus noſter Ieſus Chriſtus factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omnè nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.* Expendendum illud, *Propter quod*. Quia ſe ad vltimam deiecit humiliationem, eum Pater ad ſummum extulit exaltationis. *Dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.*

Phil. 2. 8.

Hinc ille loquendi modus in Chriſto, quo mortem crucis ſuam vocauit exaltationem; *Oportet exaltari filium hominis.* Phraſim hanc numquam voluerunt intelligere Iudæi: quia ſperabant illi Meſsiam, qui in mundo regiâ maieſtate, diuitiis, & terrenâ præfulgeret gloria, qui ſimiliter viueret, & permaneret regno ſuo defenſor rectorque perpetuus; vnde obiecerunt illi, *Nos audiuimus ex lege quia Chriſtus* (quem ſperamus) *manet in æternum; & quomodo tu dicis; oportet exaltari filium hominis?* Communis horum verborum hic ſenſus eſt, quod numquam illi intelligere valuerunt, vnionem diuinitatis, & humanitatis in Chriſto in ſua perſona; quodque ambo de illo verificari deberent; viuere in æternum, & mori in cruce; quæ duo in ſacris litteris de eo ſcripta ferebantur: in æternum viuere debebat ratione diuinitatis ſuæ, quâ erat immortalis & ratione cuius prædictum erat; *Sit nomen eius benedictum in ſecula, ante ſolem permanet nomen eius. Tu es ſacerdos in æternum. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Pariter illi moriendum erat ex parte humanitatis ſuæ, & quidem in cruce clauis debebat configi: nam de illo pariter prædictum erat: *Foderunt manus meas, & pedes meos. Si poſuerit pro peccato animam ſuam. Occidetur Chriſtus.*

38 Ioa. 12. 32. IV. Paſsio præcedit exaltationem.

Pſ. 71. 17. Pſ. 109. 4. Da. 7. 14.

Pſ. 21. 17. Iſa. 53. 10. Dan. 9. 26.

Congruus eſt hic ſenſus, vt opinor, quòd illi ſimiliter locuti ſint non tantùm de perſona Chriſti, quantùm de regno eius: ac dicere illi voluiſſe: ſcriptum legimus in ſcripturis, à Meſsia regnum fundandum eſſe perpetuum in quo ſit ipſe regnaturus, quo tempore vixerit, & demum ſit finiturus at perpetuus futurus in ſucceſſoribus ſuis. Sic intelligebant viſionem illam Regis Nabuchodonoſor, quâ vidit quatuor monarchias in quatuor illis metallis illius ſtatuæ, quam lapis conuertit in puluerem arenæ ſimilem, atque in tantam excreuit magnitudinem, vt totam telluris impleret plenitudinem: declarauit autem Regi Daniel, regnum hic ſignificari Meſsiæ, qui cuncta ſibi ſubiiceret terrarum imperia, & futurus eſſet ipſe ſempiternus; vnde ſic ait; *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſsipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur.* Totam hanc prophetiam interpretabantur illi, velut terreni, & carnales, de regno terreno quo Meſsias potiretur, ex hoc principio Chriſto obiiciunt; quomodo ſi tu dicis, quod Meſsias ſis, dicis expedire vt in cruce exalteris, ſi Meſsias, regno potiturus ſit perpetuo: hæc namq; ſibi minimè conueniunt: exaltari in cruce, & Regis gloriam adipiſci non capimus. Sed hoc ipſum Chriſtus Nicodemo Principi Phariſæorum expoſuerat, exaltationem nempe ſuam futuram ſimilem exaltationi ſerpentis ænei per Moyſen in deſerto in ſtipite erecti: *Sicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto: exaltari oportet filium hominis,* illud: *Oportet exaltari filiũ hominis.* Quod dixit Dominus in abſcondito Nicodemo, ipſum eſt, quod dixit poſtmodũ Iudęis in publico: *Oportet exaltari filiũ hominis:* nec miremur, quòd toties alludat exaltationi ſerpentis ænei: quandoquidem opus fuerit tam ſtupendum & ſingulare, præcisè inſtitutum, vt ſymbolum eſſet Chriſti, eiuſque myſteriorum.

V. Chriſti ſeu Meſsiæ regnũ perpetuum.

Da. 2. 44.

VI. Chriſti cum ſerpente exaltato ſimilitudo. Ioan. 3. 14.

Habebat ſerpens ille figuram, non autem proprietates ſerpentis. Tria conſideranda in illis erant ſerpentibus tunc temporis. Primum: venenum mortiferum: etenim morderi ab ipſis & mori idem erat. Secundum: quòd eorum cibus & alimentum erat terra: hanc enim comedit ſerpens, illâque vitam ſuam ſuſtentat, vt illi dixit Deus: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Tertium quòd ſaltus, quibus ſe altius erigit, edat pectus ſuum terræ fortius aſtringens: habet enim in illo quaſdam ſquammas, quibus terræ inixus equum longè præcurrit, in altum proſilit, & vt auis petit altiora. Hoc illi Deus impoſuit: *Super pectus tuum gradieris:* mirabile viſu eſt, colubrũ cui nec manus ſunt, nec pedes, currere tamen velociſsimè, ſaltus edere, & parietes ſurſum aſcendere: quomodo ſit illud ſi homini pedes manuſque detrunces,

VII. Tria in ſerpentibus illius temporis notanda. Gen. 3. 14.

Ili dicito: curre, proſili, vel ſurſum aſcende: ille vero ſi terram aſſequatur, in qua pectus ſuum comprimat, hinc vires ad hoc ſibi comparat: vnde non videbis quod elatus in aera procurrat, aut vires aliquas robuſtior exerat.

☞ 39
VIII. His ſignantur homines terreni.

Hoc propriè ſignantur homines terreni: primò namq; omnes veneno infecti ſunt peccati, & ſecundò, eorum alimentum terra eſt: etenim omnia eorum ſtudia eò diriguntur, de illa negotiantur, illamq; ue deſiderant: *Qui de terra eſt, de terra loquitur*, illos conſpexit propheta
Ioa.3.31. Regius dicens: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare*
Pſ.16.11 *in terram* Tertiò omnes eorum curſus, modi agendi, & ſaltus quibus in altum aſcendunt, innituntur diuitiis terreniſq; fauoribus: & quanto plus de terra hac habuerit, cui pectus innitatur, hoc eſt deſideria & cogitationes: tantò ſecurius in altum aſſurgit, ſaltuſque edit ſublimiores. An nobilitatem generis affectas? vtique, an ſunt tibi nummi, quibus innitaris? nequaquam: non igitur teipſum attolles, nec tua habebit cogitatio, cui innitatur; an titulos inquiris? perpende; vtrum tibi terra ſit cui innitaris. Securiſſimè; quam ſi non habueris, ia-
Oſe.12.8 cebis in infimis humiliatus. Quondā vates Oſeas diuitem audiuit ſibi colloquentem: *Diues effectus ſum, inueni idolum mihi.* Alia lectio habet ex Hebræo: *Inueni vim mihi.* Facultates mihi ſunt & opes, & iuxta illas habeo, cui innitar,
Pr.18.11 & quo vim exerceam ad mei ipſius exaltationem; *Subſtantia diuitis vrbs roboris eius*, ait Salomon: hoc eſt in illis qui veri ſunt ſerpentes, at ille æneus nihil horum habebat.

IX. Chriſtus nihil horum habuit.

Primò: quoad formam videbatur venenum habere, ſed procul hoc aberat: imo potius in ea ſublatus figurā, remedium erat contra veneno infectus præſentiſsimum: & Chriſtus licet videretur in eo quædam peccati ſimilitudo, quia pœnas videbatur pro peccato inflictas, tolerare: in ſola tamen hoc conſiſtebat ſimilitudine, non autem in eſſentia, *In ſimilitudinem carnis peccati. Nos autem repu-*
Rom.8.3. *tauimus eum quaſi leproſum*: Dixit Iſaias: ſed
Iſai.53.4 in rei veritate leproſus non erat. *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.*

Secundò: ſerpens æneus ille terram non comedebat: quia proprius Chriſto cibus terra non erat, cum de terrenis non ageret, nec ſermones illius terræ negotia tractarent; quinimo ipſis vulpibus & paſſerculis viuebat indigentior: cum foueam ſibi propriam non haberet, vt vulpes; nec nidum, vt paſſerculi. Deinde in hiſtoria illa de Samaritana diſcipulis illi cibum afferentibus, & inuitantibus ad eſum: *Rabbi manduca.* Reſpondit, procul hinc vos: non enim cibus hic palato meo ſatisfacit: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui* Ioa.4.34.
*miſit me, vt perficiam opus eius* Noluit autem dicere: quòd illis cibis non veſceretur ad corporalis vitæ ſuſtentationem, ſi illos manducaret: ſed de eo loquitur cibo, qui ſatiat appetitum: idcirco namque dicimus hunc eſſe alicuius cibum, in quo & de quo ſatiatur & delectatur. Tandem ænei ſerpentis exaltatio nitebatur non in terra ſed in ſtipite: quia tota Chriſti Saluatoris exaltatio in crucis ſtipite nitebatur; non in opibus terrenis, non in mundana celſitudine: ſed in cruce: *Humiliauit ſemet* Phil.2.8.
*ipſum factus obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit* &c.

X. Chriſti exaltatio crucis innititur patibulo.

O Chriſte piiſsime, te video ad cœlorum altiſsima ſubleuatum, Patris tui cœleſtis dexteræ aſsidentem, tantā maieſtate magnificum, vt ad tui nominis reuerentiam inclinentur cœli, Angeli proſternantur, terra deprimatur, & orcus humilietur. Domine quā viā ſcandiſti? *Humiliauit ſe vſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum.* Domine, cui innixus es, vt regnum tam ſublime tibi comparares vt te tuus viderit Euangeliſta capite coronatum, veſtibus ornatum fulgentiſsimis, quibus legebatur inſcriptum: *Rex Regum, & Dominus dominantium?* Ap.19.16
Stipiti crucis: *Dominus regnauit à ligno.* Nū- Pſ.95.10.
quam hoc Iudæi intellexerunt, & cognati illi Chriſti hoc intendentes, quod ipſe verus erat ſerpens, illi perſuadent, vt aſcendat Hieruſalem, ibi mirabilia operetur, & ſtupenda: quibus in mundo glorioſior euadat, & honoratior. Quàm bene notat illos Euangeliſta & carpit in illis defectum veræ fidei, quam habere debebant de Chriſti myſteriis: *Nec enim fratres eius credebant in eum.*

XI. Terrenis nō innitendum.

Inſuper patet hic quàm modicam habeant mundani & terreni fidem, quandoquidem omne eorum ſtudium eò collimet, vt terrena conquirant bona, quibus ad gloriam aſcendant, ſediſque dignitatem. Qui fide præſtant viua, in cruce fundantur, crucique innituntur, vt exaltentur fiantque glorioſi; nam idcirco Dominus ſuam cuique crucem aſſignauit, dum ait: *Si quis vult &c. tollat crucem ſuam, & ſequatur* Matt.16.24.

*quatur me*. Diuitias an quæritis (interrogat à ſuis Chriſtus) veras & æternas, quibus in æternum & perpetuò gaudeatis? terrenas nolite
XII. quærere: ſunt etenim ſpinæ quæ cor pungunt,
Sed piis & adeo fallaces, vt grauiſſimâ imminente ne-
operibus ceſsitate, te ſint deſerturæ, ſpiritus quærite
Matth. 5. paupertatem, & illi innitimini: *Beati pauperes ſpiritu: Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* An perpetuam vis alacritatem obtinere? quære lacrymas, innitere ſingultibus: *Beati qui lugent: Quoniam ipſi conſolabuntur.* Formam affectas, ô Domina, ſed perpetuam & immarceſſibilem, cuius non timeas ſenectutem nec rugas in facie tua multiplicatas? ne ceruſſæ, ne fuco, ne ſelectis, innitaris carnalibus: nam *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo.*
Pr. 31. 36 Sed illam inquire in cilicio cum Sancta Cæcilia in ieiuniis cum altera Iudith: illis enim hanc aſſequeris pulchritudinem, quæ ſolis excedat elegantiam, & lunæ tenebras offundat venuſtati. Acceſſit olim Saluatorem noſtrum Adoleſcens ille hanc illi proponens quæſtionem: Domine mi vehementer exopto mei ipſius in cœlis exaltationem: hæc etenim conſtans eſt & perpetua celſitudo, quid facto opus? quibus innitar? in diuitias aggregabo? an iam obtentas augebo ſuperabundanter? toto aberras cœlo, fili mi reſpondet Dominus: ſed illas
Mat. 19. diſtribue pauperibus: *Vende omnia quæ habes*
21. *& da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.* Veſtrum augmentum, veſtram exaltationem hic fulcite Dei & proximi amore, pœnitentiæ & mortificationis operibus, quibus carnem veſtram ſpiritui ſubiugetis: *In charitate radi-*
Ep. 3. 17. *cati & fundati.* Olim Propheta Dauid de modò locutus quo viri ſancti ſe ipſos extollunt, & de gradibus, quibus in cœlum aſcendunt, ait, illos ſibi compoſuiſſe, ſeipſos in hac valle lacrymarum humiliando, & deprimendo ſtrictis pœnitentiis, operibus mortificationis luctuque
Pſ. 83. 6 lacrymarum: *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum &c.*

§. 15. Tempus meum nondum aduenit: tempus autem veſtrum &c. *Deus vt agat cum hominibus, aliquando tempus exſpectat; ſed homo poteſt in omni tempore cum Deo agere, & impudentia eſt illum detinere exſpectantem.*

POrrò nobis alia occurrit expoſitio quod 40 voluerit Dominus agere de ſuo in Hieruſalem aſcenſu dum ait: nondum tempus eſſe opportunum vt aſcendat ad diem feſtū hunc: quia quærunt illum Iudæi interficere: ſed poterant illi quo tempore voluiſſent, aſcendere: quia nullum incurrebant periculum eſtque ea ſententia quam nobis omnibus poteſt obiicere, in qua diuerſum oſtendit agendi modum Dei nobiſcum, & noſtrum cum Deo, quo fine ad diem feſtum aſcenditis? vt agamus cum Deo,
I. Tempus quo Deus nobiſcū agat, non ſēper eſt paratum.
quâ vero intentione ego illuc aſcendo? vt agam cum hominibus, vt prædicem, vt doceam: vos autem, non eſt cur tempus exſpectetis: quandoquidem ad agendum cum Deo, quodlibet tempus ſit opportunum, & non opus eſt, vt illum exſpectetis: *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum*: Sed vt Deus agat cum hominibus, non omne tempus eſt opportunum, & opus eſt, quando vult procedere ſecundum ordinarium ſuum curſum, & non extraordinarium, exſpectare donec ſit opportunum. Vt Abigail mulier prudētiā inſignis loquatur viro ſuo Nabal, illiq; ſuam in licet imprudentiā & impudentiā, tēpus exſpectauit opportunū: nā domū ingreſſa vino merſū inuenit: idcirco diſtulit donec vini humores, quibus mergebatur, eſſent digeſti.

Heu quoties hoc vobiſcū eſt neceſſarium? an vobiſcum Deus agere poterit quando deliciis ebrij eſtis huius mundi, vinoque ſepulti? an quando cibo potuque indulgetis? an quando vanitati, leuitati & veſtris eſtis addicti voluptatibus? an quando toto ſtudio committendi peccatis incumbitis? prudenter egit Moyſes ex ſententia D. Chryſ. *a*. D. Baſilij. *b*. & D. Hieron. *c*. quando de monte deſcendens acturus cum populo ex parte Dei, & cernens illum cibo potuque temulentum, luſibus & choreis indulgentem, diuinę legis ſumpſit tabulas, quas manibus deferebat, eaſque ad montis radicem colliſit, & in fruſta comminuit, videbat enim tempus non eſſe opportunum, quo diuina populo mandata proponeret & oſtendit ſanum hoc fuiſſe con-

a *Hom. 1 in c. 1. Gen. Tom. 1.* b *Hom de laud. ieiunij. Tom 1.* c *Lib. 2. contra Iouini. c. 10 To. 2* *Ex. 32. 19*

 ſilium,

*Ec. 32, 6.* ſilium, cum poſtmodum dixerit Spiritus S. *Vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem.* Vadet prædicator vt vobiſcum agat ex parte Dei, quádo luſibus occupamini, delitiis intenditis & vacatis voluptatibus, quando velut ebrij Baccanalibus indulgetis, tunc dicere poteſt Saluator noſter: tempus meum nondum aduenit; oportet exſpectare donec velis confiteri, donec infirmeris, donec te premat aduerſitas, donec te febris exurat ardentiſsima, donec tempus adueniat Quadrageſimæ, quod eo fine particulariter eſt inſtitutum, vt tempus decernatur, quo Deus vobiſcum per ſuos agat miniſtros & prædicatores.

II. Sed têpus eſt exſpectandum opportunû.

III. Similitudo.

Eleganter dixit apud Hier. quod aliàs expendimus, locutus cum anima ſub figura Onagri, id eſt Aſinæ ſylueſtris; eſt enim onager curſu velociſsimus, vt non ſit qui præcurrentem aſſequatur, vnde illi venatores non inſidiantur, ſciunt enim ſe oleum & operã perder ethoc autem agunt; tempus præſtolantur partus, quo doloribus torquetur intolerabilibus: *In menſtruis inuenient eam.* (*Hier. 2, 24*) Etenim partus doloribus fractus facili negotio ſiſtit, detinetur & capitur; quantum aberrans à recto celerq; currit flagitioſus? quàm ad diuinos ſurdus clamores, quàm in periculis obcæcatus? quàm effrœnis in ſuis iniquitatibus: nullam nouit ſiſtendi moram. Crebrò Deus exſpectat, donec eum dolores partus opprimant, grauis infirmitas, inopina calamitas, immatura filij mors, inexſpectatus amici caſus, vt ſuperiùs exarauimus.

IV. Tempus noſtrum ſêper eſt paratum. *Pſ. 54. 18.*

Cæterum vt agatis cum Deo, tempus ſemper eſt opportunum: audi canentem David: *Veſpere & mane et meridie narrabo & annuntiabo & exaudiet vocem meam.* Ne timueris tibi ab illo dicendum: modo non vacat, occupatus ſum comedendo; vel quòd domi ſuæ tempus non ſit paratum: quia requieſcit, aut aliis detinetur negotiis, vt dicat; reuertere poſtmodum. In quacunque hora ingemuerit peccator, *In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui, quoniam Deus meus es.* Ne formides, quod ad miſericordiæ illius portam confugiens illamq; flagitans tibi reſpondeat, vt in aliud tempus de illo negotio conſilium differatur.

D. CHRY *In pſal. 4. Tom. 1. Pſal. 4. 1.*

V. Confirmat hoc

Appoſitè perpendit D. Chryſoſt. hæc verba pſalterij: *Cum inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ.* Quando inuocaui, exaudiuit me; quo tempore exaudiuit te? an mane? an ſerò, an poſt prandium? non datur certum quando, ſeu tempus, quod non ſit opportunum, nec timendum quòd vigiles inuenias qui tibi prohibeant ingreſſum, aut dicant horam non eſſe tempeſtiuã: quia vel prandet vel requieſcit: *Numquã aſsiſtit miles qui expellat; non ſatelles, qui tempus interrumpat; non qui dicat: nunc non eſt tempus accedendi, veni poſtea: ſed quando veneris, ſtat audiens etiamſi tempore prandij, cœnæ, nocte intempeſta, etiamſi in foro, in via, in cubili, etiamſi intus apud magiſtratum fuerit, non poteſt dicere: vereor orare & accedere: adeſt meus inimicus* &c. audi loquẽtẽ Dauid: *Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.* Quotieſcumq; volueris & acceſſeris, Tempus nullum eſt captandũ ſicut vt regibus & principibus huius mundi quis loquatur; nam quicumq; cum illis agere voluerit, horam captat, quâ ſint alacriores, & occaſiones arripit propoſito conuenientes; talis nequaquã eſt Deus audi Vatem Iſa. (ait D. Chryſo.) eius nomine tibi dicentem: *Clamabit & dicit: ecce adſum.* Intempeſtâ licet nocte, ſecurus accede: vt alter de quo Chriſtus, qui domũ adiit amici ſui mediæ noctis ſilentio quinque panes, quibus indigebat, ab eo poſtulaturus; etenim tibi dicit: *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum.*

D. Chryſoſt. ex Dauide. *Pſal. 4. 4.* *Iſa. 58. 4.*

41. VI. Côcedit Deus Pharaôni, vt ipſe tempus remedij aſsignet. *Ina 8. Exo.*

Ingeniosè noſter Card. Caiet. hiſtoriam expendit de Pharaône. Captiuitate premebat hic populum Dei, quem de terra ſua liberum exire pertinax abnuebat, vnâ & alterâ Deus illũ pœnâ caſtigat, quâ compellat obſtipum vt populo ſuo liberũ permittat egreſſum, & velut qui laqueum fortiùs conſtringit plagas plagis ſoper addebat, quibus & ipſum, nobiles, totumq; populũ grauiſsimè cruciabat: poſt aquas mutatas in ſanguinem, quibus vti nõ licebat; poſt muſcarum exercitus, quitẽ adimentes, ranarũ miſit plagam fœdarum & coaxantium, tantâ multitudine, vt plateas, domus, cubicula replerent, imo ipſas menſas, in quibus veſcebantur, & lectulos, in quibus dormiebant, fuit autẽ tormentum hoc adeo graue, vt Pharao atque Ægyptij, cum illud ferre nõ poſſent ſeſe ſubmittere velle oſtenderent, dũ vocatis Moyſe & Aaron, illis Pharao ait. Actum eſt vires mihi deficiũt, ſupplices protendo manus, rogate Dominum, vt auferat ranas, & populi vobis aſſeuero libertatem. Cui Moyſes: perplacet: *Conſtitue mihi quãdo deprecer pro te & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ*, notat dũ cum Caiet. quod ex Hebræo legatur: *Gloriare ſuper me & d. c. quando deprecer &c.* Quid hoc ſignificat? hanc tibi gloriam Deus vult tribuere, atque in hoc te honorare: vt tu ipſe tempus deſignes, quod-

*Exo. 8. 9.*

quodcumque tibi placuerit, in quo accedam ex
parte tua Deo locuturus, inter nos, principum
Regumq; maieſtas hoc poſtulat, vt quicumque
voluerit illis loqui vel cum illis agere, eo con-
ueniant tempore, quo ipſis bene placuerit, &
horâ per ipſos aſſignatâ, ita vt Rex non ſemper
ſit paratus quandocumque tibi placuerit, ſed tu
ipſe in omnem ſis horam paratus ab ipſo deſi-
gnatam. Hoc ſuppoſito, non leui Rex honore
dignaretur illũ, qui cum ipſo intenderet agere,
ſi diceret: ipſe tempus conſtituat, in quo mihi
velit venire ad colloquium: illud etenim erit, in
quo ſemper adſtabo paratus, illi beneficiũ im-
perititurus. Hâc te gloriâ (loquitur Moyſes Pha-
raoni) Deus dignatur, quo tibi declaret, quod
ſemper paratus ſit audire te, recipere te, ſua tibi
largiri beneficia, tu quando bene ſederit, acce-
dito, & tempus aſſigna tibi magis opportunum:
hanc tibi, ô Chriſtiane, gratiam impertit: tibi
namq; loquitur: *Tempus veſtrum ſemper eſt pa-
ratum.* Accedito quandocumque placuerit: me
etenim ſemper paratum inuenies, qui te reci-
piat, & donis accumelet. Hinc vnum hoc inter
cætera Dominus elicjet, ad tui condemnationẽ,
Thre. 1. 15 nempe tẽporis opportunitatẽ: *Vocauit aduersũ
me tempus*, vt teipſum nequeas excuſare, obij-
ciendo: non potui cum Deo agere de meę ſalu-
tis negotio, quia tempus illi non erat opportu-
num: etenim ſemper illi eſt opportunum.

2. Cor. 6. 2 Expendit Apoſtolus Paulus id quod Domi-
VII. nus ait hominibus per Prophetam Iſaiam, vt
Quod ad ipſum accederent, eiuſque portas pulſarent
dicatur tempore opportuno: quòd ſi hoc facerent, illis
eſſe tem- affirmabat, quòd illos & audiret & beneficijs
pus ac- afficeret: *Tempore accepto exaudiui te, & in die
ceptum. ſalutis adiuui te.* Poſſet obijci dubium: quid hoc
Iſai. 49. 3 igitur Domine mi, quale tempus illud? ſi ne-
ceſſe ſit ad obtinendum à tua diuina manu be-
neficia, & noſtris infirmitatibus incolumitatem
accedere tempore accepto, tibiq; placito: *Tem-
pore accepto, tempore placito*, quale futurum eſt
illud? an forte tu ſimilis terræ Regibus, à qui-
bus, vt quis dono recipiat, opus eſt, vt illos eo
conueniat tempore, quo humores ſunt tempe-
rati, ſunt ipſi excitati, alacres, beneque diſpo-
ſiti? an te comparauero Dauidi Regi: hic et-
enim occiſo filio ſuo Abſalone ſecretiora pe-
tijt loca, per aulam obambulans vberrimas
fundebat lacrymas, nimiâ triſtitiâ abſorp-
tus: ſic vt nulli ad eum pateret acceſſus: vnde
populus intellexit, ſed præſertim milites de
bello reduces: iam tempus non eſſe congruum
cum illo loquendi, & dona poſcendi: quocirca
exſpectarunt, donec illa ſe remitteret animi
mœſtitia, & horam haberent opportunam: ita
vt neceſſarium iudicarent ipſe Ioab intraret ad
Regem, illique diceret vitæ ſibi periculum im-
minere, niſi populo portas aperiret, & ſeſe vi-
dendum obijceret, atque exſpectantes ad collo-
quiũ admitteret. Quale futurum eſt illud tem-
pus acceptum, in quo tibi placuerit, & paratus
ſis accedentes audire, iiſque tua dona imperti-
ris? latiùs explicat hoc Apoſt. dum ait: *Ecce* 2. Cor. 6. 2
*nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis* VIII.
*nunc*, in hoc momento, in hoc inſtanti: *Ecce* Expen-
*nunc*, de tempore nihil habes præter illud *Nunc*, ditur Ad-
quod præſentis eſt temporis teſte Philoſopho. uerbium
q. d. ſemper tempus eſt opportunum, & accep- *Nunc*.
tum Deum accedendi, ſi mane, *Nunc*: ſi veſperi,
*Nunc*: ſi proſpera ſalute: *Nunc*: ſi infirma vale-
tudine, *Nunc*: ſi opibus diues, *Nunc*: ſi omnium
inops, *Nunc*: q. d. non eſt quod tempus exſpectes
futurum Deum accedendi, illi loquendi atque
ab eo poſtulandi beneficia, tuarum indulgen-
tiam culparum, gratias & miſericordiæ ſuæ
dona: quocumque tempore adueneris,
quandocumque volueris, poteris: ita vt tibi di-
cere non liceat, non acceſsi ad Deum remiſsio-
nem criminum rogaturus, & me ad illum non
conuerti: tempus erat importunum: ſemper et-
enim portas inuenies apertas, & ipſum te bra-
chijs exſpectantem patulis, qualem deſcripſit
nobis Iſaias: *Exſpectat Dominus, vt miſereatur* Iſ. 30. 18
*veſtri*, Rationi conueniens eſſet, Amice, vt ad
illum te conuerteres: ſufficit quod illum tamdiu
ſuſpenderis exſpectantem, atque tam feſtinus
adfueris dæmonis, mundi, & carnis obſequio.

Suadet æquitas, quia nos conſtringit Apoſt.
Petrus *Iam non deſiderijs hominum, ſed volun-* 1. Pet. 4. 2
*tati Dei, quod reliquum eſt in carne viuas tem-* XI.
*poris*: Iam tuos amplius ne ſecteris appetitus, & Exhor-
voluptatibus indulgeas: ſed quod reliquũ tibi tatio ad
ſupereſt viuendi tempus, illud diuinæ implen- meliorẽ
dæ impendito voluntati: *Sufficit enim præteri-* frugem.
*tum tempus ad voluntatem gentium conſuman-
dam, his qui ambulauerunt in luxurijs, deſide-
rijs, vinolentijs, & illicitis idolorum cultibus.* An
non ſat datum eſt temporis animæ tuæ perdi-
tioni? an illa non ſufficiunt, quibus voluptati-
bus tuis, & inſolentijs indulſiſti? quibus vitæ
dies impendiſti, niſi offenſis Dei, carnis tuæ de-
litijs, & mundi fallacis obſequio? an tot anni
non ſufficiunt quibus diabolo deſeruiſti? an tot
dies non ſufficiunt, quos rebus corruptibilibus

& cito perituris impẽdiſti; ſaltem amodò quod reliquum vitæ ſupereſt, & ignoras an paucarũ tempus ſit horarum, in diuino tranſige famulatu, animæ tuæ ſalute & tui ipſius recollectione. Spectare videtur Apoſtol. illud quod Iacob ſocero ſuo quondã dixit Laban, *Tu noſti, quomodo ſeruierim tibi &c. iuſtũ eſt, aliquãdo prouideã domui meæ.* Verba hæc obijcere tuum eſſet mũdo, carni, atq; dæmonio, quę aliàs explicauimus.

§. 16. Tempus veſtrum ſemper eſt paratum. *Tempus tuum modicum eſt; illud ſaluti tuæ ſollicitus impende: quandoquidem illud diabolum reddat in tui perniciem valde diligentem. Balenæ comparatur.*

☞ 24 I. Cur Deus modicũ nobis tẽpus largiatur. VT opinor his verbis: *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum*, reſpondet Chriſtus illi, quid heri diximus, nimirũ quòd modicũ nobis tempus largiatur: *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum.* Dñe mi, ſi modicũ ſaluti noſtrę tempus aſsignes, quid acturus ſũ? modico tempore modicũ efficitur. Notiſsimũ eſt, quod negotium maximè graue, atque inæſtimabilis momenti, quod homo poteſt efficere, ſit ſua iuſtificatio, quãu obſtetricante gratia Dei operatur; opus omniũ quę fecit Deus excellentiſsimũ, ipſa cœli, terræ, imo Angelorũ creatione ſublimius, opus, in quo homo prodit de abyſſis, & ſeipsũ inter Sp. transfert Angelicos: tãto operi tempus eſt neceſſariũ. Falleris omnino falleris; imo potius multa modico potes tempore præſtare; quia Deus ſemper adſtat paratus vt te recipiat exſpectans, vt tibi ignoſcat, ſuãq; gratiã tribuat, atque cum illa tecum tuã operetur ſaluationem: *Tempus veſtrum ſemper eſt paratũ.*

II. Similitudo. Hoc inter alia ad noſtram ſalutẽ diuina decreuit ſapientia, vt nobis tempus largiretur modicũ & modicũ: noſtram etenim peruerſam cognoſcit conditionem, quando Pater percipit filiũ ſuum prodigum eſſe, & pecuniarum dilapidatorẽ, pecunias illi parca miniſtrat manu, vt illas vtiliter impẽdat rebus ſcilicet rationi cõgruis, & illas non dilapidet inutiliter. Puero fameſcenti panis per fruſta porrigitur; hoc namq; modo illum minimè prodiget: quinimo ipſas micas colliget decidentes.

III. Modico tempore [illegible] Quid magni pretij tempus eſt, idque tanti, vt vno inſtanti eiuſque momento homo poſsit diuina fultus gratiã omnia Dei regna ſibi comparare: poteſt ex diabolo Angelus fieri, & qui prius pullus erat inferni fit cœli ſeraphim ardentiſsimus: Magdalenam attende, quam Phariſæus dæmonũ cloacam iudicabat, cui tamen ſic Chriſtus: à vero aberras: eſt etenim ſeraphim amore feruentiſsimus: *Dilexit multum*: vno namque tẽporis momento diuina ſpirante gratia ſpatium percurrit infinitũ. Latro qui Sanctorũ quorundã iudicio, prius Chriſtum conuitiis offenderat, momento tẽporis tantam percurrit terræ regionem, vt cũ Chriſto pariter paradiſum introierit. Quod ſi vel momentũ temporis inferno damnatis concederetur, illudque vellent vtiliter impendere, diuinã illis aſsiſtente gratia, cunctas illas euaderent pœnas, flammas extinguerent inextinguibiles, atque inter ipſos Angelos ſedem ſibi collocarent, ô quanti eſt hoc ponderis.

Sanctis autẽ in gloria ſua Deus tẽpus largitur abundanter; nam ſuam illis communicans ęternitatem illis tantum impertitur temporis quãtũ ſimul includit æternitas: etenim æternitas duratio eſt ſimpliciſsima comprehendens in ſe omnia tempora præterita, præſentia & futura: *Tota ſimul, & æterna duratio*, iuſtè totum illis largitur tẽpus quia totam hanc fructuosè durationẽ impẽdunt, in fruendo Deo, illo ſe vniẽdo, illumq; benedicendo: *Beati qui habitant in domo tua Dñe, in ſæcula ſæculorũ laudabunt te.* Porro noſtram intelligit Deus conditionem, quod prodigi ſimus temporis, & quærimus, quibus hoc impendamus, nec eſt, quod minoris tempore faciamus. IV. Sanctis tota cur detur æternitas Pſ. 83.5.

Eleganter expendit D. Bern. quod frequens eſt inter homines, & quam vulgare prouerbiũ: eamus tranſigamus tempus, Domine mi, hic modicũ temporis expendamus donec hora præteriat, & tempus adſit eundi, illudue negotium agendi. Dñe mi, ait Eccleſiaſticus, confabulemur modicum donec intrandi chorũ hora appropinquet. Colloquamur hic ait vir forenſis vſque dum in conciliũ accedamus, fabulis vacemus vſque dum hora cœnandi audiatur: *Libet cõfabulari aiunt donec hora prætereat.* Heu quã imprudens verbũ quàm iniuſtum, inquit Bern. *O donec prætereat hora ô donec prætereat tempus.* An ergo tã floccipendis tempus æſtimas, vt quæras, quibus trãſigas illud impendijs? hac & quidẽ maiori pœna torquẽtur in inferno damnati, quòd ſcilicet intelligant, quàm inutiliter tempus perdiderint, quòdq; vel medicô illius vtiliter impenſô cœli ſibi gaudia cõparaſſent: hic eſt vermis ille eorum viſcera corrodẽs immortalis, D. BERN Ser. de triplici cuſtodia: manus linguæ, & cordis. V. Tempus quam pretioſum ſit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

talis, heu quid agere potui? quid lucrari tanto mihi à Deo conceſſo tempore! ſimiliter & eos cruciat, dũ videt tempus à nobis ita prodigi & impendi inutiliter Hac ſimilitudine clarius hoc

VI. Similitudo.

patebit, quanto dolore torqueretur ille, qui pre nimia ſiti deficiens videret te vas aquæ refrigerantis huc & illuc inutiliter effundẽtẽ, cuius nec guttã poſſet obtinere? quã grauiter & moleſtè ferret hoc fame languidus, ſi te videret menſæ accumbentem martiali, panes autẽ integros canibus adijcientem, in terra cõculcantẽ, ipſe quorũ nec micam quidẽ valeret obtinere? ſales ſunt miſera illa Barathri mancipia: conſpiciunt enim quòd vnica fluminis illius temporis guttã vnaq; panis illius micã ſalutem aſſequerẽtur, ſi Deus illam iis largiri dignaretur: te autem cernunt illud ita vilipendere, vt huc & illuc diſpergas, & integris effundas vaſis, non inſtans vnũ, non horam vnam, ſed diem integrũ, hebdomadam integrã, menſem integrum, annum integrum, imo plures annos impendas mundi vanitatibus: tempus illud diabolo, mũdo, carni tuæ, delitijs, ventoque conſeceres.

D. CRYS. *Hom. 57. in Ioa in illud. In peccatis natus es totus. Tom. 3.*

O quã dolendum, cum D. Chryſ. quod nummus regius deperditus tanto te dolore diſcruciet, & tanta conſerues ſolicitudine non ſolum ſcutum aureum, ſed & regalem argenteũ & minutiſsimam æris monetã, cum autem tanto ſit his tẽpus pretioſius, & quo lucrari poſsis plura, quàm quibuſlibet pecunijs, non ſolum non cõtriſteris ſi illud per dies, menſes & annos integros amiſeris, ſed inſuper occaſionẽ quæras illud amittendi? *Si parum auri amittis id omne damnũ appellas, & ſi totos dies in diaboli operibus conſumpſeris, nihil amiſiſſe opinaris.* Vt autẽ illud quaſi pretioſum quid conſerues, tibi hoc Deus minutũ concedit: nõ enim hoc tibi tribuit niſi per minuta & inſtantia, nec quid amplius habes de tempore quàm præſens nunc, in hoc, ſi bene fueris illo vſus, Deum inuenies te præſtolãtem qui te recipiat, qui tibi parcat, ſi debitè acceſſeris: vt enim paulo ſuperius diximus, tempus hoc eſt acceptabile: *Ecce nunc tempus acceptabile.* Quid de matutino? tuum hoc non eſt, quid de veſpertino? nec illud tuum eſt, tam modicè enim tibi Deus largitur vt tuũ non ſit, niſi præſens momentum: *Tempus veſtrum.*

☞ 43 Ep. 5. 16. VII. Cur dies dicantur mali. *Sap. 15.*

Paulo ante declarauimus Apoſt. conſilium: *Redimentes tempus: quoniã dies mali ſunt.* Perpende quod dies mali ſint: quis hoc capiat dies mali? dixit Spiritus S. de arte pingendi, quod mala ſit; *Mala artis excogitatio:* quia fallax eſt: varijs enim coloribus, lineamentis, & vmbris viſum illudit, tantò que perfectior eſt imago, quantò te verius videtur decipere, nam in tabula demonſtrat illum procul multiſq; abeſſe miliaribus, qui tabulæ appingitur: & ad ima videtur alter depreſſus, & hic in ſuperiori conſtitutus loco, ſi verò digitum applices, & contingas omnia ſunt æqualia: hic ait Apoſt. dies eſſe malos id eſt fallaces: qua de cauſa Spiritus S. tempus vocat iniquum & malum: *Sicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo.* Es. 9. 11.

Quoties ille cogitat tempus ſuum eſſe diuturnũ & multos ſibi annos vitæ ſupereſſe, qui ſua hic negotia diſponit, quaſi ſic futurum eſſet, & illo nihil minus cogitante, deficit illi tempus, moritur & riſui dãnatus exponitur. Hoc Apoſt. conſilium, meã quidem ſententiã, reſpondet viſioni, cuius meminit D. Ioan. in Apocalypſi, vidit enim & audiuit Angelum voce magna dicentem: *Va terra, ve mari quia diabolus deſcendit ad vos habens iram magnã ſciens quod modicum tempus habet:* Mercator opum auidiſſimus, & nundinas frequẽtans, nouit modico illas tempore duraturas, qua nõ diligẽtiã ad illud accurrit negotiũ, illã procurat emptionẽ, & illi ſtudet venditioni? latro in domũ irrumpẽs ciuis opulenti qui nouit modico ſibi tempore ibidẽ hærendum, quàm ſedulò ad hoc non recurrit ſcrinium, ad illud feſtinat cubiculum, illam effringit arcam, illas deprædatur ciſtas?

*Ap. 12. 12* VIII. Similitudo.

IX. Diabolus ideo furit in nos quia ſcit ſe habere modicũ tempus.

Ecce tibi patet ratio dæmonis induſtriæ, quã noſtram procuret damnationem: *Tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret*, ſic illum deſcribit D. Petrus quã velox ad illum feſtinat, cum tentaturus? hunc allecturus? quam anxius vt talem corrumpat puellam, euertat coniugatã & mercatorem inflammet auri cupiditate? ſemper: *Circuit quærens quem deuoret*, aliud nihil mente tractat, vt diximus Dominicã prima quadrageſi. quæ igitur eſt cauſa? *Sciens quod modicũ tempus habet*, ſuis negotijs ſuæ intentioni & diligentiæ impendẽdum: gradum ſiſte, Sanctiſſime Apoſtole, qua ratione nouit diabolus modicum ſibi ſupereſſe tempus? an ignorat, tempus non finiendum, nec mundũ, niſi prius impleatur illud quod dixit Apoſt. de manifeſtatione Antichriſti: *Niſi venerit diſceſſio primũ, & reuelatus fuerit homo peccati.* Hoc nondũ vidimus, atque ad illud multum requiritur temporis etenim ad minus prædicare debet, vel ſi magis placeat, conſtituere Antichriſtus,

X. Obiectio

*2 Th. 2. 3.*

trieñio & medio: deinde an hoc eum latet, complendum illud Chriſti vaticinium: nempe primò per totum orbem Euangelium eſſe prædicandum? an hoc non nouit Iudæos ad Euangelij fidem eſſe conuertendos, & implendum
Pſ. 7. 8. 5. 15. Dauidis oraculum, bis ad maiorem rei certitudinẽ ab ipſo repetitũ: *Conuertentur ad veſperam.* & hoc pariter Apoſt. quòd tota Gentilitas Chriſtũ ſit receptura, eiuſque Euangelium, deinde Iudæorũ Synagoga? *Donec plenitudo Gentium intrauerit. & tunc omnis Iſrael ſaluus*
Rom 25. *fiet?* hoc ſuppoſito notum aſt diabolo multum illum ſupereſſe temporis.

XI. Solutio. Reſpondent aliqui verũ eſſe diabolum non latere, hęc omnia debere fieri, nec prius mundo terminum eſſe imponendũ: porro pariter nouit hæc omnia paucioribus annis poſſe impleri, & executioni mandari quinquennio vel ſaltem ſexennio: ita vt plores his annos non habeat certos & ſecuros, & neſcit vtrũ mane dies eluceſcet, in quo naſceter antichriſtus: & fiat illa reductio Gentilitatis & Iudaiſmi ad Euangeliũ; quâ facta tempus finietur & mundus. Bona eſt hæc declaratio, atque ex ea rationem elicio ad noſtræ negligentiæ condemnationem: ſi diabolus, licet ſciat nonnullos ſibi ſupereſſe determinatos annos, quibus nos perdat tanto feruens
XII. Nullum eſt tẽpus viuendi. impetu noſtram moliatur damnationẽ: *Sciens quod modicum tẽpus habet:* quæ premere te debet anxietas, quæ turbare ſollicitudo, qui nullos ſecurè potes annos tibi polliceri, nec mẽſes, nec dies, nec horas, ſed nec momẽta; rebus omnibus Deus præfixit tempora excepto tamẽ vi-
Eccl. 3. 2. tæ: vnde hic ait: *Tempus naſcendi & tempus moriendi.* An ergo non ſcribis tempus omnibus? *Omnia tempus habent.* Cur igitur tempus non determinas viuendi, ſed naſcendi & moriendi? quia nullum eſt viuendi tempus certũ & ſecurũ: quo momento in matris vtero naſcitur Embrio priuſdam in mundũ prodeat, mori poteſt, nec vnũ quidem vitæ momentum ſibi poteſt homo polliceri; an ergo iudicas tibi viuendum magna ſollicitudine, & hoc tempus bene & vtiliter impendendum? illo in ſalutem tuam vtere. *At nunc nolite illudere.* Nolite illud nugis impendere.

Notat D. Aug. illud Exo. *Vt narres in auri-*
Lib. locut. in Exo. loc. 46. To. 3. Ex. 10. *bus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios* Septuaginta legunt: *Quæcumque illuſi Ægyptijs:* quid eſt hoc? *Forte ſicut dictum eſt: draco iſte quem formaſti ad illudendũ, ei & in Iob eſt initium figmenti Domini quod fecit illudendum ab Angelis eius.* Proſequitur hoc noſter Card. Caiet. notans quòd in eo Deus declarare voluerit ſe procedere contra Pharaonem:
XIII. Deus quaſi perioců cũ Pharaone, & Pharao cũ illo. *Tamquam iocoſo contemptu:* Et reuera, licet graues fuerint illæ plagæ, porro reſpectu Diuinæ potentiæ omnia ludicra fuerunt, ait Caiet. & ſic ſe rei veritas habet: omnia namq; iocoſa videbantur, nunc flagellat, nunc ceſſat, nunc reuertere, nunc dicito illi hoc meo nomine; nunc terret, nunc manũ à ſupplicio retrahit ad quodlibet Pharaonis promiſſum, iam habebat quod denuo diceret, illique ordinaret, vt quaſi ludendo Deus egiſſe videatur: quinimo & ipſe Pharao cum Deo velut puer, qui virgas aduertens timet, triſtatur, & ingemiſcit, quas ſi non viderit, timoris obliuiſcitur & triſtitiæ, nec vllum in eo remanet ſignũ pœnitentiæ, ſed ridet & ſpatiatur, ſicut antequam illas conſpexiſſet, eo modo Pharao proceſſit cum Deo: dũ enim flagellis illum atterit, & ſupplicijs, timet Deum, luget, lachrimatur, mille iurat promiſſa correctionis, quibus Deus, quaſi permotus manum attollit, & continuò in priſtinam Pharao labitur obſtinationem, ingratitudinem, & contra Deum rebellionem, quid plura? & ludum quoq; tecũ agit diabolus, qui eſt velut luſus taxillorũ: tibi namq; liberũ concedit vitijs tuis ingreſſũ, & Deum offendendi facilitatem, tibi cibũ ſuggerit, quo poſſit accedere ſecuriùs; te occidere te perdere, nec deſiſtit, donec te tartari profũdo demerſerit: *Nequando dicat inimicus meus, præ-* Pſ. 12. 5.
*ualui aduerſus eum.* hæc erat Dauidis oratio: Domine lucem oculis meis infunde, quâ periculum meæ ſaluationis agnoſcam, & ſollicitus viuam in omnibus offendiculis mihi ab inimico præparatis: ne quando triumphum agat de me iactetque ſe mihi præualuiſſe, victoriam eripuiſſe, me proſtrauiſſe, perdidiſſe.

Perpende hiſtoriã Patriarchę Ioſeph. Diuina
XIV. Prudẽtia Ioſeph in condendis frugibus ad mores expenditur. Gen. 41. nouit reuelatione ſomnijs illi prǫoſtenſis Pharaoni ſeptem ſpicarũ & totidẽ vaccarũ craſſarũ & languentiũ; Deũ ſignificare ſeptẽ futuros annos maximę fertilitatis, & vbertatis: quos exciperent ſeptẽ alij extremæ ſterilitatis & penuriæ: proinde neceſſarium eſſe primo ſeptennio fertilitatis fruges recondere & ſeruare pro ſecundo ſeptennio ſterilitatis. Videre licet, Patriarcham Ioſeph, anxium, ſollicitum, diligentem, à primo anno vbertatis in congregando, condẽdo, granarijs horreis implendis, vt illi nec granum tritici deperdatur: quæ tua hæc ô Patriarcha ſollicitudo? an exſpectare nõ licet vſq; in vltimum annum, vel alios ſubſequentes, cũ

illos habeas tibi determinatos; nequaquã quã-uis enim multa ſit tritici præſens abundantia, multa quoq; ventura eſt tritici ſterilitas: ſuadet igitur ratio diligentiam. Sic eſt, porro dicito mihi: ſi Ioſeph ex reuelatione diuina ſeptenniũ prænouiſſet ſterilitatis & non niſi annũ vnum certum haberet abundantiæ: qua non torqueretur anxietate? an dormiret, iã trãquillus eſſet? an triticũ male diſpergeret? an in flumẽ demergeret? nemo ſanus hoc dixerit; imo potius tota ſedulitate, totũ congregaret, vt illi nec granum quidem deperiret, quod ſi nec annum quidem ſecurũ haberet fertilitatis, ſed tãtum ſciret võturã ſterilitatem futurã ſupra modum extremã, cui nec hora quidẽ certa promitteretur, quãtriticum colligeret, atq; hoc tantum venturæ haberet ſterilitati remedium, quod iã colligeret; an tibi videtur virum tantã prudentiã clarum anxium fore & ſollicitum? an in ambas aures ſecurus tunc obdormiret? an triticum quod præ manibus haberet in aëra diſpergeret? quod ſi faceret hoc, quid obijceres? an non illum priuatum ratione iudicares?

XV. Nunc nobis fruges in annos ſterilitaſunt cõdendæ.

Eãdẽ teipſum cenſurã perſtringe. An ignoras venturum tibi ſterilitatis tẽpus, mortis horã intelligo, quã tẽpus & occaſio colligendi finietur? an hoc te fugit, tempus futurum, quo corã Deo ſit tibi comparendum; illudq; fore adeo ſterile & aridũ: vt tunc nec vnum quidẽ piſum ſuperſit colligendũ, tunc nulla erit pœnitentia, nullus dolor, lacrymę nullæ culpis eluendis, tunc nõ licebit Sacramenta frequentare, tunc merẽdi tẽpus euolauit. O quanta hæc frugum ſterilitas: tunc deliciæ finientur, cõuiuia terminabuntur, menſę diſpergentur opulentæ, lectuli molles eijcientur: hic in mundo remanet, quidquid poſſedit diues, nec ſecum deferet vel vnã acicolã: *Diues cũ dormierit, nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos & nihil inueniet.* nunc tẽpus

Iob 27.19

eſt vbertatis, nunc tẽpus tua deflẽdi peccata de illis pœnitẽdi, ſalutẽ tuã eleemoſynis, vigilijs, & pœnitentijs obtinendi: nunc tempus eſt bene vtendi diuina miſericordia, eiuſq; Sacramẽtis.

O quanta hallucinatio differre pœnitentiam. D. Bern. in ſermone *De nimia fallacia præſentis vitæ noſtræ* proponit fallaciam quã quandoque vitam noſtram ita breuem æſtimamus & periculis obſitam, alias autem ita diuturnam & ab omni periculo liberam; quando tibi debet aliquis: Dñe mi: quia hodie mori poteſt & tu: ueſt ſolutionem aſſecurare, & quidem ſẽ nota dilatione; ne vel in craſtinum differendum: quãdo de peccatorum tuorum agitur pœnitentia ne te mors illis hinc rapiat implicatum, Domine adhuc tempus ſupereſt, non eſt cur ſic feſtinem: vſque in horam mortis multum ſupereſt, atque in ea vacabit agere pœnitentiam, & tunc apparet deceptio: *Se longam eſſe mentitur, vt quam paulo ante breuem eſſe dolebant peccato vitam nunc eandem repente inueniunt vſque adeo prolongatam vt ſecurè ſe poſſe putent non modicam adhuc partẽ conſumere in peccatis & quod reliqua longa ſit ad pœnitentiam.* Caue ne te decipiat: credere fore diuturnã: etenim inexſpectatò te mors obruet, nec tibi dabitur pœnitentię locus, non tempus extrahetur: modo nunc, dum tempus habes, illã agito, nunc vtere miſericordiã tibi à Deo oblata: nunc tibi valeat Sacramentorum abundãtia: quantũ tibi ex illa copia ſecurum certumque tempus tuum! *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum.* Quantum eſt illud tempus tuum: hoc ſolum momentum, hoc ſolũ inſtans: an ergo expediat, vt illud dilapides, & prodigas, & nedum tibi non lucreris; aut in tempus recõdas ſterilitatis, ſed inſuper & illud diſperdas & in aera vẽtiles: ſi certo certius eſt, te fame moriturum æternumque periturum.

XVI. Stultum eſt differre in tempus mortis.

D. BER.

XVII. Nunc agenda pœnitentia

Porrò dicamus illud alio modo: diabolus liuidã furens ſollicitudine circuit! *Sciens, quòd modicum tempus habet.* Quia nullã habet certitudinem, vtrum mundus cras ſit finiendus & tempus illi defuturum quo te tenet, & agat in ruinã. Ratio eſt: quia didicit experientiã, quòd decipiatur in rebus illis, quę diuinas tãgunt reuelationęs, cumque Deus irrideat, earum integram illi notitiã non infundẽs: hoc enim cecinit Dauid: *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* Quot ſigna, quot promiſſa Deus particularia de Meſsiæ aduentu præmiſerat ſignificans illi matrẽ, quæ virgo futura erat, natiuitatis ſuæ locum Bethlehem, vitæ ciuitatem, Nazareth, miracula, ſua opera: nihilominus eum diabolus haudquaquam agnouit, donec Chriſtus exſpirauit: etenim nouit Dñs ei velũ oppandere, cognoſcat verũ in illo vel in alio vel talis prophet. cõpleatur: vnde credo firmiter quod in illis dubijs ſit quæ dicta ſũt de Antich. an fuerit Mahomet, an Amurates ſecundus (dũ enim ille naſcitur voces audiuntur plurimę: *Antichriſtus hodie natus eſt*) vtrum Lutherus, verũ iam ſit in mũdo, tamẽ illum non agnoſcat. Cum autẽ ſoleat eũ Deus fallere, ſemper formidat, ne mundo terminus, illo nihil minus cogitante, imponatur: hoc eſt: *Sciens quòd modicum tempus habet.*

XVIII. Diabolus ſæpe à Deo quoad tempus decipitur.

Pſ. 103.16

*Vide M. Iuſtinia. in opuſc. D. Vincen Ferarij.*
*Iob 41.23*

Hoc opinor ad litteram Deus diabolo dixit, locutus de ipſo cum amico ſuo Iob, in figura Balenæ, ſeu ceti, quem vocat Leuiathan: *Poſt eũ lucebit ſemita, æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcẽtem.* Exprimit inquietam diaboli ſollicitudinẽ quâ nos impugnet, cõprehendat, perdat & deglutiat, eâ quâ cetus conatur piſces in mari deuorare, deglutire. Cum enim ſit adeo vaſtum animal, vt turris videatur, ventrem habet, qui numquam impletur, quantumuis deglutiat: vnde ſemper tanto fertur impetu & velocitate, vt eâ parte maris quam ſulcat, prægrandem poſt ſe relinquat & ſpumoſam ſemitam, quæ ſit velut via quædam ſtrata, ſi verò ſol ſpumas & aquæ bullas excitatas illuſtret ſemita videtur illuſtriſsima: *poſt eum lucebit ſemita.* Hoc autẽ ita perficit anxius tantâque velox diligentiâ, quaſi iam illi mare deficeret: hoc verbis illis indicatur: *Æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem:* Vt enim ait Apoſt. *Quod antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Phraſi ſcripturali conuertuntur, idemque ſignificant interire & ſeneſcere, tanto calore feruet in viſceribus, atque inſatiabili famet ingluuie, vt tanta celeritate feſtinet deuorare piſces, ac ſi pelagus illi præ ſenectute interiret. Nec abſimile eſt quod de miluis dicitur Noruegiæ: etenim illis in regionibus dies adeo breues ſunt, vt aliquando vltra tres horas non extendantur, ſumma celeritate prædam inſectantur: norunt etenim diem quantocyus ad occaſum tendere: quod ſi modico illo tempore ſibi de præda non prouiderent, fame procul dubio interirent.

XIX. Eius nos perdendi deſideriũ Ceti ſimilitudine exponitur.

*Heb. 8. 13*

Habes hic cauſam anxiæ ceti ſollicitudinis, atq; in ea ſimiliter diaboli, qui ne puncto quidem temporis ceſſat, quo minus eos capiat & deglutiat: *Circuit quærens, quem deuoret:* quia quotidie formidat mundum interiturum, & nouit tempus eſſe modicum illi ſecurum: nõ enim amplius eſt quam præſens, & ſingulis diebus timidus ſuſpicatur illum mundo poſtremum illuceſcere, quem à Deo ſibi conceſſum ſit habiturus, quo nos tentet, nos perdat & deglutiat: potiſsimum cum ſæpe videat ſe deluſum in tẽpore, quod illi ſupereſt, ex eo quod Deus agit, & deluſum irridet, vt vidimus in tempore illo quo venit mundum redempturus.

XX. Parimodo nobis eſt timẽdum de temporis incertitudine.

Si diabolus nec horam nec momentum vitæ præſentis omittat, ſingulis horis, & diebus laborans, imo ſingulis momentis quo tuæ procuret animæ damnationem: quia tempus certum illi à Deo conceſſum, quo perdat homines, modicum eſt & quotidie cenſet vt vltimum: ac proinde diabolica ſemper rabie circumuolat, omnibus diebus, omnibus horis, imo & momentis damnum tuum mortemque procurans infatigabilis; te autem, qui tempus tuũ adeo modicum noſti, quo tuæ inuigiles ſaluationi, vt tantummodo ſit præſens illud, illud inquam, momentum, nec ſecurum habes craſtinum ſed nec noctem venturam; nec quidem egreſſum de hoc templo: quam anxium eſſe decet, quanta ſollicitudine ſaluti tuæ conſulere, nec in mane, nec in noctẽ, nec in hinc egreſſum differre vitæ correctionem? verum eſt nec diffiteor totũ vitæ tuæ tempus tibi datum, quo tuo valeas proſpicere remedio: *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum*; Porro non hoc te fugiat; (inquit D. Aug.) quòd ille qui tibi promiſit, quòd quotieſcumque recurreris ad illum, paratus adſtabit vt te recipiat, certam tibi nec temporis horam, nec momentum addixerit; *Fortè dices: promiſit mihi Deus indulgentiam quando me correxero verum dicis ego conſentio & credo & cognoſco, quia indulgentiam Deus promiſit tibi: craſtinum tamen diem quis tibi promiſit: vbi legis indulgentia te accepturũ, ſi te correxeris, legiſne quantum victurus ſis?*

*D. AVG. Serm. 16 de ver. Domini Tom. 10.*

Hoc vnum inter cætera, quæ magis admiror in vita Abraham tot actibus præclara heroicis, illud eſt, quòd Spiritus S. deſcribit; illi promiſerat Deus ſemen multiplex, & nepotes pluri-mos, magnifica quoq; illi promiſſa iurauerat, quod pater futurus eſſet credentium: *Eris Pater multarum gentium, nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham &c.* mutauit illi nomen, vnam illi de nomine ſuo littera ſuperaddens: cum enim Dominus vocauerit eum Abraham, exponere voluit, quòd eximia illi priuilegia tribueret eorum, quæ illum iam redderent Dei domeſticum: *Quia Patrem multarum gentium conſtitui te;* Porro illi ſubiungit, animaduerte meam hanc eſſe voluntatem, vt tu, omneſque tui voſipſos circumcidatis: hoc etenim ſignum erit eorum, qui de grege ſunt populi mei, & hoc ſub pœna capitis adimplebis: *Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Illico ſe circumcidit Abraham, & filium ſuum Iſmael, omneſq; domeſticos vernas, & liberos, qui quadringenti & plures cenſebantur: *Eadem die circumciſus eſt Abraham & Iſmael filius eius, & omnes viri domus illius, tã vernaculi quàm emptitij, & alienigena pariter*

XXI. Abrahæ obediẽtia ob animæ periculũ notatur.

*Gen. 17*

*Gen. 14.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*&c circumciſi ſunt.* O rem ſtupẽdam! erat circumciſio adeo grauis, vt patuit in filijs Sichẽ, cum tanti eſſent parui & magni, quas voces, quos planctus, quas fundebant lacrymas! quòt ſingultus in cœlum dirigebantur ex dolore nimio, quem adferebat illis circumciſio? quid ergo Abrahã, an ſaltẽ vel modicũ differes tam ardui præcepti & vniuerſalis executionẽ? cum Deus ſubpœna mortis animæ præcipiat, ego nũ diutius exſpectabo? ſi forte quis hac nocte diſceſſerit, an expediret vt tantæ iacturæ cor meũ lamenta pateretur? abſit omnino? reſpõdet Abraham, non eſt differendum, illud quod Deus præcipit agendum, quãtumlibet arduum ſit, & moleſtum: illico mandetur executioni.

§. 17. Tempus veſtrum &c. *Diabolus, quo nos perdat, attendit modicum ſibi eſſe tempus: tu illud quoque conſidera, quo te ſalues, & muſcipulam, quam vidit Amos reformida.*

☞ 46 HÆc arctiùs cõſtringamus. Diabolus furibundus circumuolitat, nec horam, nec infra eas intermittit tentationis, quã viuentiũ ſingulos perdat & degluttat: *Quia modicũ tempus habet deſcendit ad vos habens irã magnam, ſciens quod modicum tempus habet.* Qua ratione nouit ſibi modicum concedi tempus? quia nouit id ſibi tantum ſupereſſe temporis ad aliquem tentandum, quod illi ſupereſt ad vitã, hanc autẽ nouit eſſe breuem. Optimè ſit quòd Iob ſcripſit: *Breues dies hominis ſunt &c. homo natus de muliere, breui viuens tempore &c.* Obijces: ſit ita: hoc enim & nos nouimus omnes, ſed cur ita feſtinandum? licet intelligat, quod abſolutè vita diuturnior eius qui diutius viuit, breuis ſit, cum paucis tantũ annis perſeueret; an non magnus eſt Aſtrologus, qui ex influxu ſtellarum in ortu illius cognoſcit, quòd viginti adhuc annis vel triginta ſit ſuperuicturus? an non expertus eſt medicus, qui cognoſcit, & explorat humores corporis vniuſcuiuſque & notat in hoc eſſe bene temperatos & ſalute potiri cum incolumi? an non corporis tui cognoſcit compoſitionem, & videt nihil nunc eſſe, quod tibi poſsit mortem inferre?

I. Diabolus ſępe fallitur circa hominis corporalem diſpoſitionem.

Non abnuo: etenim cognoſcit totã naturã: ſed tamen intelligit à Deo mundũ gubernari cuius erga mortales ſingularis eſt prouidẽtia, & quòd aliquando ſecretò ſuò iudiciò, ſubitò hinc illũ rapiat, cui vita videbatur futura diuturnior, & interdum adoleſcentẽ proſternat, dũ eſt in gratia: quia præuidet, quòd ſi diutius viueret, damnaretur, illudque complet Salom. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius: aut ne fictio deciperet animã illius.* Quocirca ſummo mane non omittit eius procurare damnationem, quẽ videt amicum Dei; poſſet enim fieri, vt mane Deus illum raperet ac incolumem ſeruaret, & proinde nullũ ſibi ſupereſſet tempus, quô illius intenderet damnationem, quid igitur? quotidie ſuſpicatur vltimum eſſe vitæ diem vniuſcuiuſque: vnde nullo modo patitur elabi vel vnicam horam, quã non omnem ſibi poſſibilem adhibeat, non perpendi, diligentiam. Si diabolus in craſtinum non differat iuſti procurare perditionem: quia licet illi videatur, quód quidem naturaliter vitam habeat ad multos dies ſecuram: porro videt quod Deus abditô ſuo ſuo ſcrutinio quandoque dum minus cogitat, illũ ei eripit, loco ſtatuit ſecuro, & de vitæ huius periculis eripit euidentioribus: hoc eſt: *Sciẽs quod modicum tempus habet.* Te vero, qui nec ſcientiã noſti naturali, vtrum cras victurus ſis, & quotidie cernis præ oculis in peccatoribus tremenda Dei iudicia: talis enim ſaluus decubuit, & incolumis, quem mane ad ſepulchrum extulerunt: talis autem vegetus ſurrexit & integer, ſolem tamen non vidit occidentem, alter autem adoleſcens quem dixiſſes adeo robuſtum vt vendere potuiſſet, ſic loquamur corporis valetudinẽ, inopino corripitur exanthemate, quo per ſingula momẽta ad funera rapitur: ſimiliter & vicinus tuus corporis craſsitie turri comparandus ſubitò apoplexia tangitur, vel lethargo, ſicq; hinc diſcedit, vt nec ſemel in ſe potuerit introuerti: quæ te inquã debet torquere cura, & quàm iuſtè tibi timendum, ne quiſque dies tibi ſit vitæ poſtremus quam ſerio tibi incumbit ſic tempus impendere quaſi tibi nullum craſtinum eſſet aduenturum.

Sap. 4. 11.

Hæc mente voluebat Dauid, illiſque verbis indicauit: *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos:* Quæ verba ſic transferunt Septuaginta: *Ecce veteres poſuiſti dies meos.* Vt expoſuit cum D. Ambroſio, D. Auguſtinus Perpende, Domine mi, quod veteres mihi dies tribueris. Cur quæſo dies appellat veteres? præclara hic congerunt SS. Patres, ſed propoſito ſeruiet quòd ante ſuggeſsimus; nempe, quòd in Sacris litteris idem ſignificent ſeu conuertantur: aliquid antiquari, ſeu ſeneſcere, & prope interitum eſſe: ita loqui-

Pſ. 38. 6.

II. Noſtri dies ſunt veteres.

In Pſ. 38.

tur D. Paul. *Quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt* q. d. Domine dies mihi conceſsiſti tales, vt vnumquemq; eorum ſic iudicẽ morti proximum vt verear ne mihi poſtremus illuceſcat: & ſpectare videtur quod diximus Deũ dixiſſe amico ſuo Iob, nẽpe quod diabolus vt cæcus tanto furore rapiatur ad euertẽdos bonos, eoſq; deglutiendos: quia vitæ noſtræ dies conſiderat vt ſeneſcentes: *Æſtimabit abyſſum ſeneſcentem*: quia craſtinum nõ exſpectat: Domine mi, pſallit Dauid, diabolus quo me perdat nullum tempus exſpectat futurum, nec diẽ ſequentem, quia timet talem mihi non obuenturũ, & quod hodiernus mihi futurus ſit vltimus: quanto igitur maiori mihi ſollicitudine eſt ſaluti proſpiciendum, cum ſciam dies vitæ meæ ſingulos mihi eſſe poſſe ſupremos?

47 III. Similitudo.

Hoc igitur eſt, quod Apoſt. ait: *Quoniam dies mali ſunt*, & fallaces ſunt in tantũ, vt nullũ habeas, cui poſsis fidere, nec ſecurè pedẽ tuum figere, quaſi illo non moriturus, quàm fallax eſſet ſtratum lateritium, quod æquale videretur eſſe & planum, in quo lapis ille, qui videretur cæteris ſecurior, tam eſſet fallax vt pedem illi infigendo mergeretur, teque ſimul ad profunda putei raperet interiturum, viam perpende vitæ, ſtratum diebus, cuius quilibet dies lapis eſt: videntur æquales, & ordinati ſingulis ſinguli cõuenientes, ſed pedem in eo figendo, quẽ credis tutiorem, laberis & moreris: an illi tibi non videntur eſſe fallaces? quocirca hoc vnum vobis, ſũmopere Chriſtus perſuaſit, ad hoc multas direxit parabolas ſuas & conciones: qualis illa fuit de Domino qui tempore venit ſeruis maxime inopinato: illa de vigilijs, quas ſeruis ſuis ſeruare incumbit: ſimiliter de decem virginibus, in qua ſic ait: *Media nocte, clamor factus eſt: ecce ſponſus venit.*

Ma. 25. 6

IV. Nox habet timorem, ſolitudinem & ſocordiam: ita & mors. Sap. 18. 16.

O quantũ nobis intereſt, vt vigilemus. Tria continet mediæ noctis tempus: timorem, ſolitudinem, & ſocordiam. Primum: tempus eſt timoris & horroris: etenim propriũ eſt tenebris illum incutere & profundiores ſunt mediæ noctis tempore. Secundum: tempus eſt ſolitudinis: nec enim quiſquam per plateas, per fora, prætoria diuagatur: Eccleſiæ & domus occluſæ ſunt: vnde tam profundum ſeruatur ſilentium, vt dictum ſit à Salomone: *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu mediũ iter haberet*: Tertium: eſt tempus ſocordiæ: nam dum homines à ſenſuum, & potentiarum ſuarum vacant operibus, ſomnum captant: nec enim hoc aliud eſt, quàm portas occludere ſollicitudinibus: tempus eſt, de quo ſcripſit Iob: *Quando ſolet ſopor occupare homines.* En tibi tempus mortis.

Primò: tempus eſt horroris & timoris, quandoquidem omnium naturæ noſtræ terribiliſſimum ſit mors; deinde horror adeſt ille, quo quis percutitur ex conſideratione, quòd iam nunc diuino ſiſtendus ſit tribunali, cuius vel ſola conſideratio oſſa concutere ſolebat Sanctiſſimorum. Secundò: tempus eſt ſolitudinis: nec enim ſociare tibi licebit fortiſsimos amicos in via comites, nec pecuniarum ſaccos, quibus tibi conſulas, ſolus eas oportet, & ſolus te cum operibus tuis diuino ſiſtas tribunali iudicandum; dicendum quoque, de te vt expendunt D. Aug. & Bern. *Ecce homo & opera eius.* Tertiò tempus eſt ſocordiæ: dũ enim minus eris ſollicitus, vitæ tempus tibi terminabitur, mors accurret, & implebitur illud Salom. *Neſcit homo finẽ ſuũ ſed ſicut capiuntur piſces hamo, & ſicut aues laqueo comprehendũtur, ſic capiũtur homines in tempore malo.* Tempus vocat malũ, quod fallax eſt; hac Paulina phraſi: *Dies mali ſunt.*

V. Muſcipula Amos morti applicatur. Amos. 8. 2. Hier. 5. 27.

Vt opinor congruit hoc illi, quod Deus Prophetæ Amos demõſtrauit; ait illi, vates, attolle oculos: *Quid vides Amos?* reſpondet: *Vncinum pomorum ego video* in Hebræo verbũ eſt *Chelub*, quod varias & dubias patitur explicationes: vnde diuerſimodè à diuerſis transfertur, appoſitè nonnulli legunt: *Decipulam*, ſic tranſtulit D. Hier. illud Ieremiæ: *Sicut decipula plena auibus*; quid eſt decipula? propriè licet ſignificet tendiculam in generali, ſiue illam quæ animalibus vt lupis & vulpibus capiendis extenditur, ſiue mauis quæ auibus, ſicut in tranſennis: cum tamen ſit decipula magis frequens, quà mures capiuntur, vnde nomen habet: *Muſcipula*, iam pro eodem ſumitur, idemque ſignificat *Muſcipula* quod *decipula*, inde natum prouerbium: *Decipula murem cepit*; dicit itaque Propheta, vidi Domine decipulam. Optimè vidiſti Propheta; quippe hoc terrenos omnes decipiam mortales, *Venit finis ſuper omnes habitatores terræ*; quid per hæc indicas? id quod frequens eſt in mũdo nempe quòd Deus homines hinc abripiat, quando maximã ſtertunt ſocordiã. Qualiter murẽ muſcipulã decipis? quando minus ſibi timet, magiſq; fidit, & putat ſe ſecurum, caſeũ arrodens; quem illi propoſuiſti, quem ante bobus ſuis intercludis podiibus: tunc enim corruit muſcipula, & ille comprehenditur, nec aliud ſupereſt

pereſt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pereſt niſi vt tradatur feli deuorandos. Sic ſæpenumero Deus miſeros cōprehendit terrenos, quos vocat: *Habitatores terræ*, quando minus ſibi conſulunt, quando in ambas dormiunt aures, omnino mortis immemores.

VI. Pharao quaſi in muſcipula captus eſt. Exo 13. 20. Exo. 14. 2.

Quare fallaciter velut in muſcipula Deus peccatores rapiat, & cōcludat patet in Pharaone. Egrediuntur Iſraelitæ de Rameſſe in Socoth, deinde Ethan & ad vltimos deſerti terminos tranſgrediuntur: *Caſtra metati ſunt in extremis finibus ſolitudinis.* Hic iam illis exiſtentibus præcipit Deus Moyſi: dic illis; hæc dicit Dominus: *Reuerſi caſtra metentur è regione Phihahiroth, quæ eſt inter Magdalū, & mare contra Beelſephon.* Hæc omnia ſic fieri volo, inquit Deus, quia hoc modo decipere intendo Pharaōnem: *Dicturuſque eſt Pharao ſuper filijs Iſrael, coarctati ſunt in terra, concluſit eos deſertum, & indurabo cor eius, ac perſequetur vos, & glorificabor in Pharaone.* Prodit in arenam cum exercitu ſuo Pharao, fugientes inſequitur Iſraelitas, concluſos cernit illos in deſerto, quos ipſa ſolitudo eius videtur tradere velle poteſtati; intrat populus per maris rubri profunda inoffenſo pede, perſequitur illum Pharao ſuperbiā & vindictā flagrans, ſibi perſuadens quod aqua tranſitum illis negante, vel omnes mergerentur: vel manibus ſuis traderentur, ſuique exercitus occidendi: *Perſequar, & comprehendā; implebitur anima mea.* Chaldaica verſio legit: *Saturabitur ex eis anima mea.* In Hebræo, ſecundum Lipomannum, *Explebitur ex eis deſiderium meum.* Ingreditur vndas ab vtroque latere ſtupentes exercitus Pharaonis inſequens Iſraelitas: *Perſequenteſque Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites, per medium maris.* Sed aurora luceſcente Deus accurrit populi ſui defenſor fortiſsimus, *Iamq; aduenerat vigilia matutina; & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum;* illū agnoſcunt, & Domini impletur oraculū: *Glorificabor in Pharaone ſcientque Ægyptij quia ego Dominus.* Nec aliter ſe res habuit; manum enim Domini potentem agnouerunt, quā contra eos erexerat, omneſque in apertam fugam mortemque compulerat: *Fugiamus Iſraelem; Dominus enim pugnat pro eis;* Porro dum fugam meditantur, & egreſſum, ecce dolent ſibi aquis regreſſum impeditum: *Fugientibus Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Ad ſolā virgæ Moyſi percuſsionem omnē aquæ Pharaonis demerſerūt exercitū, & medijs fluctibus milites omnes, currus & equites abſorbuerūt.

Quærit hic Hugo de S. vict. *Si non videbāt Ægyptij Iſraelitas præcedentes propter nubē interpoſitā, quomodo ſequi potuerunt?* reſpondet, quod *Non poterant eos videre perfecte, illos tamen ſentiebant;* videbantur ex odore ſubſequi Iſraelitas eoſque inſequi, ſicut mus ex odore caſei muſcipulam ingreditur; & ad hoc illos Deus mortuos ad littus eiecit. Obijcit hic Caiet. qui fieri potuit iſtud; demerſus enim non niſi poſt triduum aquis ſupernatat, quod & illis videtur contigiſſe: *Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus, operuit eos mare &c.* Sic eſt, attamen voluit Deus hoc in tuā operari vtilitatem; vnde voluit, vt illico ſupernatarent, & eorum viderent illi cadauera quæ tu pariter videres, vt inde cognoſcas, quomodo Deus illos, quaſi in muſcipula cōprehenderit: quia eō ipsō quò perſequebantur Iſraelitas, voluit Deus vt ſe captos agnoſcerent, & tunc propriam inuenirent mortem, quando minus quidquam de illa mali ſuſpicabantur, quinimo de illis cecinit Moyſ. in Cant. *Aſcenderunt populi & irati sūt: dolores obtinuerunt habitatores Philiſthijm:* legit Caiet. ex Hebreo: *Audierunt populi, tremunt, tremor apprehendit habitatores Philiſthijm.* Origenes interpretatur Philiſtijm idem eſſe ac *Cadentes populi:* nam illi ſunt, qui dum maiori ſtertūt mortis ſocordia, in ipſam incidunt per illud ipſum, quod ſuis quærunt intentionibus. Nec hoc mirandum, quòd Deus te velut in muſcipula ad tuum comprehendat ſuppliciū, quādoquidem te diabolus quotidie per culpam tuam, te velut in muſcipula, comprehendat.

Apud ſupra Exo. 14. Tex. 3.

Exo. 15. 14.

VII Diab[olus] ven[atur] nos [in mu]ſcipulis velut mures Pſ. 90. 3.

Subtiliter expendit D. Aug dæmones in hoc mundo eſſe venatores, eorumque inſtrumenta venatoria eſſe muſcipulas; vbi namque noſtra lectio habet: *Ipſe liberauit me de laqueo venantium:* Legit ipſe: *de muſcipula venantium.* Quinam ſunt illi venatores? in propatulo eſt, eſſe dæmones. Et quibus nos venantur? muſcipulis: miſeros nos, quos diabolus excipit & capit velut mures, nobiſq; parat muſcipulas. Quō mus in muſcipula comprehenditur? modico caſeo toſto: illo ſimiliter nos diabolus comprehendit ſicut te miſerum comprehendit vultu talis puellæ cerosā compoſito, te quoque detinet in huius muſcipula cōcubinatus, vt neſcias præ nimia ſtultitia tua, quomodo egrediaris: te ſimiliter lucro quatuor terunciorum, te pariter

detinet, quia tu detines bona aliena, tibiq; perſuades nullas tibi eſſe vires, quibus hanc dirumpas muſcipulã, & tu pariter in illo detinearis officio, quod iniquis medijs iniuſtè obtinuiſti. Propitius ſit mihi Deus, (inquit D. Aug.) heu quantos diabolus decepit in muſcipulis! ô quanta calamitas, nos tam turpiter ab illo comprehendi.

VIII. Ita Deus peccatores vt mures comprehendit.

Cum ergo tanta veſtra ſit calamitas, inquit Deus, vt vos patiamini, velut mures inſipiẽtes, per culpas veſtras comprehendi: vos ego velut in muſcipula, vobis ad pœnam, comprehendã: ſicut enim illã mus cõprehenditur, quando ſibi omnem pollicetur & ingreſſum & egreſsũ, nec eſſe credit qui ponat obicem, quo minus toſtũ corrodat caſeum, peſſulum decidit & comprehenditur, nec patet illi egreſſus donec adſient parati feles eum deuoraturi; ſimili modo, quãdo ſibi tales omnem perſuadent ſecuritatem, ſuis vacantes delicijs, & minus de malo cogitantes: peſſulum cadet infirmitatis, apoplexiæ, exanthematis, lethargi, quibus eorum anima velut captiuatur, vt nec ſibi poſsint attendere, nec peccatis ſuis, nec exonerationibus, quibus grauiter tenentur: donec è corpore decedentes feles exſpectẽt ipſos infernales, deuoraturi, qualis erat Rex Balthaſſar in die lætitiæ ſuæ, conuiuio delectatus opiparo. Quàm auidè caſeum arripuit cœnæ ac deliciarum, omni poſtpoſita mali formidine? & ecce ſubitò laqueus cadit, nec à quo deijciatur, aduertit, vnicam tantum notat manum ſcribentem & proloquentẽ, mortem illi iam eſſe in oſtij. Quàm quietus diues ille, de quo Dominus, in lecto ſuo decumbens, ſuarum caſeo diuitiarũ ineſcatus, illas ambabus animæ manibus apprehendens, intellectu nimirum & voluntate: ſic animam ſuam alloquitur: *Anima mea habes multa bona, poſita in annos plurimos; comede, bibe, epulare*, & ecce ſubito corruit decipula, hac cœleſti vocellũ perterrente: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti cuius erunt?* Stulte nimis, hac eadem nocte animam euomes infelicem, & quid de tantis rebus futurum, quas tibi collegiſti? ô carnis tuæ cultor quàm nulla, muris inſtar ſolicitudine viuis anxius, etiam tuas ipſas corrodens carnes & ſalutem, quam perdidiſti, & bona tua, quæ viuẽdo luxurioſè prodegiſti? ô auri cupidiſsime, quàm bonis iſtis terrenis hæres implexus, vt modum tuæ nolis ponere cupiditati? ô dignitatum ardelio quàm ſedulò manum illi inijcis dignitati, medijs vſus illicitis? caue tibi, ne peſſulum te comprimat inopinatò: *Et quæ paraſti cuius erunt?*

48 (☞) IX. Exemplis confirmatur.

Luc. 12. 19

Eia igitur Chriſtiane, tempus tibi datum vtiliter impendito: *Cum tẽpus habemus, operemur bonum*: nam quàm diu durat, & ſemper quotieſcumque volueris, poteris Deum accedere pro animæ tuæ remedio: craſtinum non exſpectes & eo modo viue, quaſi tibi nullum eſſet craſtinum obuenturum. Gal. 6. 10

Inquiſiuit D. Cyprian. quare Dominus methodum nobis orandi prælegẽs: ſic dixerit, vt oraremus: *Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie?* An non ſatius fuiſſet dicere, in multos dies, vt neceſſe non eſſet, quotidie Dei portam pulſare, panemq; poſtulare? an non prudẽtius illum peteremus in annum integrum, vel menſẽ, vel ſaltem hebdomadam? expoſcit à Domino Samaritana fontẽ aquæ ſibi taliter erogari, vt neceſſe nõ foret eò amplius ad aquã excurrere: *Domine, da mihi hanc aquam vt non ſitiam, neque veniam huc haurire.* Videtur, quod præcipiens, vt quotidianum mendicemus panem, velit vt quotidie nos ipſos fatigemus, Deoque ſimus moleſti, tot repetitis factiſque poſtulationibus. Prudentiſsima eſt hæc petitio.

Lib de Ora. Domini.

Luc. 11. 3

X. Cur panẽ rogamus quotidianum?

Ioa. 4. 15

Primò vt doceat vos, quòd Deus libenter vos videat ad ianuam ſuæ miſericordiæ petendo recurrentes: vt enim vos obliget, quatenus quotidie ad illũ recurratis; non vult vt hodie petatis niſi quod hodie vobis eſt neceſſarium atque intelligatis orationem veſtram ita debere eſſe continuam, vt quotidie vobis ſit orandum, atque à Deo poſtulandum. Secundò: quò te doceat, quòd in cogitatione tua nullum promittere tibi debeas craſtinum, æque taliter debere eſſe diſpoſitum, vt credas quòd vitæ tuæ diem hunc tantummodo habeas hodiernum, tuumq; debere eſſe deſiderium adeo feruens, Deo, Deiq; regno perfruẽdi, vt alium vitæ diem præter præſentẽ non exoptes: idcirco namq; hanc petitionem: *Panem noſtrum quotidianum* hæc ex eius præcepto præcedit: *Adueniat regnum tuũ. Meritò Chriſti diſcipulus victũ ſibi in diẽ poſtulabit, qui de craſtino cogitare prohibetur: quia & contrarium ſibi ſit, & repugnans, vt quæramus in ſæculo diu viuere qui petimus regnum Dei velociter aduenire.* Hoc verbis D. Aug. deſcribamus: *Longè quidẽ eſt dies iudicij, ſed vniuſcuiuſq; hominis dies vltimus longè eſſe nõ poteſt: quia breuis eſt vita & quia ipſa breuitas ſemper incerta, quãdo ſit dies tuus vltimus, neſcis. Corrige te hodie propter cras &c. Ipſa res eſt, quæ multos occi-*

D. AVG. Ser. 16. de verbis Domini Tom 10.

*dit, cũ dicũt: cras, cras. & ſubito oſtiũ clauditur. Remãſit foris cornuſcũ voce coruina: quia nõ habuit gemitũ colũbæ, cras cras, corui vox eſt &c.*

§. 18. Nõ poteſt mundus odiſſe vos &c.

*Oderant illi Chriſtum; quia perfectam & arctam proponebat illis veritatem, quam mundus ordinariè perhorreſcit.*

☞ 49 I. Mundus odit veritatem. ALiam addit Chriſtus rationem, quã ſecũdæ reſpondet obiectioni, in qua vi ſocordẽ illũ arguebant, quodque ea de cauſa in Ieruſalem non aſcẽderet, atq; quòd ex ſocordia & puſillanimitate non omittat aſcensũ in Ieruſalẽ, ſed aliã eum premente cauſa, nempe, quòd illum Ieroſolymis execrarentur mortẽque illi inferre cogitarent: *Non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit: quia teſtimonium perhibeo, quod opera eius mala ſunt* q. d. abſit omnino, vecors nõ ſum, nec ſocordiæ, aut puſillanimitatis iudicium eſt cautè ſe gerere cum eo, qui malum tibi machinatur Continent verba hæc, licet adeo ſuauia & pacifica, rigidam ſatis & aſperam reprehenſionem, vt eleganter annotauit D. Chryſ Reprehendũt illi Chriſtũ, (Ho. 47. in Ioa, To. 3) quaſi timeat aſcendere Ieroſolymam: Chriſtus autem illos reprehendit, quia tales erant, qui poſſent eò ſemper aſcendere, quando voluiſſẽt: argumentum euidens, quod homines eſſent mundani, & ſimiles illis de Ieruſalem, ſupra modum nefarijs, dixerant illi Dño: *Manifeſta teipſum mundo*: hoc nequaquam ait Chriſtus mihi conuenit, vobis autem optimè: quia vos de hoc mundo eſtis, & mundum diligitis, qui & ipſe vos vt quid proprium diligit, ſibiq; conueniens; me verò abominatur quia manifeſtè ſuas illi declaro nequitias, atque euidenter illi demonſtro, opera eius eſſe flagitioſa. Quaſi apertè dicat ſupremo me perſequuntur odio; nihil enim magis peccator exhorreſcit, quam ſi in medium proferantur eius ſcelera, & omnium oculis ſpectanda proponantur. Hæc ea cauſa fuit, quare mundus odio Chriſtum & furore mortali ſit inſecutus: *Ego quia veritatem dico vobis quæritis me interficere.*

Ioa. 8. 4. Amos 5. 10. Quisperfectè loquatur veritatẽ. Subtiliter hoc expoſitum vidit Amos Propheta: *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt.* Correptio in communi, eſt imperfecta. Notandum verbum: *Perfectè*, execrabantur eum qui perfectè eos arguebat: hoc eſt, qui funes arctius cõſtringebat, cui ſatis nõ erat eorũ in communi vitia carpere, ſed in particulari illis hæc obijciebat: *Væ vobis Phariſæi hypocritæ &c.* (Luc. 11. 42) bona eſt medicinę doctrina in communi: ſed perfecta non eſt, quia manet in aere, nec aliquem reſtituit mẽbrorũ integritati: perfecta verò eſt, quando doctrina hæc communis infirmo applicatur particulari, quãdo dicis illi: Dñe mi, neceſſe eſt vt brachiũ illud cancro putridum abſcindatur, & ſanguis ille, qui te præfocat ex corde foras extrahatur, illis quoq; humeris cucurbitæ applicentur, eſt prædicator medicus: bona eſt doctrina in communi, ſed non perfecta: quando enim proponitur in generali, nullus emendatur. Quando autẽ loquitur perfectè prædicator? quãdo verbis loquitur terſè compoſitis, & circumflexis ſententijs? quando multã adducit ſcripturam diuinã & humanitatis elegantias? minimè: ſed quando deſcendens ad particularia, declarat huic, quod cor peſſimo illi redũdat humore malitiæ: & illi, quod ipſi ſanguis ex nimia luxuria cõputruit, & nimiè repletur ex alienorũ bonorũ rapina, & iſti, quantumlibet exterius optimè valere videatur, viſcera tamen gerat cancro vlcerata.

Hoc modo Dñs infauſtis illis loquebatur infirmis, eaque de cauſa illum odio proſequebantur: *Loquẽtẽ perfectè abominati ſunt* & hoc ipſe teſtatur: *Mundus me odit: quia teſtimonium illi perhibeo, quod opera eius mala ſunt.* Facẽ appone prędoni facinus illius detegentẽ: lumẽ accende illi qui toto die noctis exoptat tenebras, quibus in tales diuertat ædes agatque cum amica luxurioſè; ò quã grauiter in te ſtomachabuntur, etenim lux illis, vt mors reputatur: hoc ipſum ex mẽte D. Greg. Iob indicauit: *Cum ſubito apparuerit, arbitrãtur umbrã mortis.* (Iob. 24. 17.) Verba Saluatoris ſol erant clariſſimus, quo Pharaſæorum tenebræ hypocriſis illuminabantur. Perfectè loquebatur illis ad ſingulares deſcendens defectus: vnde & oderant illum.

Admirabilis fuit illa ſententia vatis Iſa. *Cõuerſum eſt retrorſũ iudiciũ & iuſtitia longe ſtetit: quia corruit in platea veritas*, Ratio & iuſtitia, inquit Propheta demiſſã & proiectã incedunt clamyde: virtus & ſanctitas, lugẽt interfectæ: dicito nobis, quæ huius cauſa damni? quia *Corruit in platea veritas*, & quidem eo modo proſtrata iacet vt nõ ſit qui ſuſcipiat infirmã. Quàm hoc foret triſte ſpectaculũ, ſi nobilẽ cerneres virginẽ Regis filiã, ſupramodũ diuitẽ ſole venuſtiorẽ, in medio foro, quã omnes inſpiciãt, & cuius pulchritudinẽ, opes, & progeniem admi-

(50 ☞ (a) Vande capa cayda. III. Veritas corruit in platea. Iſa 59. 14)

IV. Simili-tudo.

admirentur, quæ nihilominus in foro proſtrata langueſceret? Si vero illam accedens interrogares, quid hoc puella nobiliſsima? tunc vultus elegantiâ gratiſsima, ſanguine nobiliſsima, gaziſq; ditiſsima? vt quid hic proiecta lãgueſcis? omnes te collaudant, omnes diligunt, omnes de te præclara prædicãt, vt quid non aſſurgis & domũ aliquã ingrederis? reſpõdet autẽ, heu Domine mi: nihil mihi iſto optabilius: dũ enim in foro remaneo nulli ſum cõmodo nec meas illis impendo & cõmunico diuitias: ſed heu me infelicẽ, quãuis enim, te teſte conclament omnes, quòd me diligant, illis placeam, & ſola ſufficiã, vt quãlibet domũ ingreſſo fuero, delitijs illam replcam: nemo tamen in ſuam me recipere dignatur: & quãtò illis videor in foro venuſtior, tãtò videor illis in cuiuſlibet domo turpior & ingratior: quam hoc eſſet dignũ admiratione? ſiſte pedẽ: ſi filiam videres infidelis, Æthiopiſſæ fœtidæ laceræ, quam in foro iacẽtem & lachrimantem omnes cauillis laceſſerẽt, cuius ſatis non poſſent admirari fœditatẽ: nulla nihilominus illi non pateret ianua, quã omnes Muſicã tympano, cytharis & tota mentis alacritate reciperẽt, ſuęq; domus illi comitterẽt regimen, quid ad hæc dicere? fieri ne poteſt? ne hoc admireris, inquit Propheta: quotidianum, enim eſt in mundo & frequẽtiſsimũ inter vos, atq; in ædibus veſtris, quæ puella veritate formoſior; puella nobilis, Deo progenita, qua de cauſa ipſe dicitur: *Deus veritatis*. Deus auctor & pater veritatis, pulchra, grata ſolis inſtar illuſtris, cui hoc ſit propriũ vt omnia illuminet; ditiſſimaq; ſit quæ animam opibus impleat.

V. Mendacium ab omnibus ſuſcipitur licet reprobetur.

Pſ 30.

O quàm grata hæc puella patet, ſed in foro; quis eam non laudibus extollit? quis nõ inuocat? cui non placet? *Omnis terra veritatem inuocat: cœlum etiam ipſam benedicit, & non eſt cum ea quidquã iniquum.* Sic ait Proph. Eſdras; porro cum omnibus ita grata ſit in foro, &c. longè diſſita, nullus eam in domũ vult recipere, nec eſt, quod ſingulis videatur hãc puellã eſſe turpius, quãdo cubiculum eorũ ingreditur. Dicito fœneratori vt inſpiciat quantum ferueant arcæ ſuæ pauperũ ſanguine, qui coram Deo, vt ſanguis Abel vindictam efflagitat: dicito viro nobili non tolerandã eius eſſe laſciuiã, quã totã offendit ciuitatem, nullũ ſtatuens modũ nequitijs ſuis, nec creditoribus ſeruiſq; ſuis debita perſoluens: dicito viro Eccleſiaſtico, non illi conuenire tantã pecuniarũ bonorumq; aggregationem, interim Ieſu Chriſti pauperibus fame

3. Eſd. 4. 36.

VI. Veritas odium parit.

pereuntibus: dicito Iudici, quòd eũ in conſpectu Dei grauiter accuſet in finiendis litigantiũ proceſsibus ſupina negligentia, quodque duci ſe perſonarũ acceptione patiatur & corrumpi muneribus malè palliatis. Accedito, cum D. Ioa. & principi dicito: *Non licet tibi*. Non licet tibi tãtã viuere licentiã diſcolum: dicito mercatori: *Non licet tibi*: illicitum eſt tibi hoc lucrũ, quod præcisè conſequeris ex dilationne temporis & ſic de cæteris: quã grauiter illa recipitur? quam toruus puellæ pulcherrimæ vultus oſtenditur.

VII. Mendaciũ omnibus gratum eſt.

Verumtamen ex altera parte mendacium, abiectum, vile, ſordidum, filia diaboli naturalis: nam ipſe: *Mendax eſt & pater eius*, in pectore perduellis illius progenitum, talis auis tale ouum, execrandum, horrendum, cauſa perditionis: iam etenim dixit Dauid: *Perdes omnes qui loquuntur mendaciũ*. à longè conſideratũ, quàm abominabile eſt? quàm deſpectum? non eſt qui illi nõ maledicat, non eſt cui nõ diſpliceat. His non obſtantibus nihil gratius in domibus recipitur, nihil aptius videtur, dũ illas ingreditur: bene mundus hoc declarat quàm malè conueniat mendacium, quàmque ſit acceptum, ænigua videtur: vter prior eſt, tu qui ſtultus es, vel alter qui tibi hoc improperat? eſſe pauperẽ, vel ab alio hoc tibi dici; cæcum eſſe, vel alium tibi hoc obijcere? peius eſt ſic eſſe affectum quam quod alius illud aſſeueret ſeu tibi improperet, quomodo igitur peius æſtimas, vt quis tibi dicat quòd mentiaris, quàm reipſa mentiri? an aliquid tibi eſt illo verbo moleſtius? an aliquid tibi ipſo mendacio familiarius? an illud tibi ignominioſum? an hoc execraris? an tibi de illo caues? res ita ſe habet, quòd in ore nihil tibi peius videatur: in opere tamen nihil tibi frequentius; nihilque audis libentius.

Ioa. 8. 44.

Pſ. 5. 7.

Parcat mihi Deus; quam libenter auſcultas quòd alter tibi dicat, te magnarum virum eſſe qualitatum, honores te mereri primarios, tibique detrahere, qui non ſic eſſe fateatur? quàm ſuauiter arrides ei O puella, qui tuam extollit vultus elegantiam prudentiam, & perſuadet vt alteram te Helenam in vrbe celebrari? quàm apertis brachijs, latro honorabilis, illũ excipis qui propter eleemoſynã infelicẽ erogatã, millenas tibi iuſtificat vſuras: quàm tibi perplacet, qui modum tuum agendi licet inordinatũ deprædicat. Hæc eſt ploranda calamitas: nihil eſſe, quòd in domibus tuis gratius, ipſo mendacio; recipiatur, nec quidquam tibi auditu moleſtius ſit ipſa veritate: *Loquentem perfecte*

*abominati*

VIII. Ob dictam veritatem luunt Sancti.

*abominati ſunt*: Illum, qui ſtrictam illis imo ſingulis aperit veritatem (hæc enim eſt ea correctio, quæ plurimum refert & neceſſaria eſt) illum, inquam, habent odio, dirèque perſequũtur: ratio modò liquet cur Prophetæ odio habiti ſint, & paſsi ſint ſerui Dei perſecutiones.

Habes hic cur Iſaias ſerrâ medius diſſectus fuerit, Ieremias puteo demerſus & lapidibus appetitus, Ezechiel concalcatus à multitudine, Michæas alapâ contuſus, Amos miquis perterritus, Elias condemnatus; vſque ad ipſum Apoſt.

Epiſt.100 ad Bonos. Tom.2.

D. Paul. (inquit D. Hyer.) qui eandem ob cauſam paſſus eſt aduerſitates; vt ipſe dilucidè probat his verbis: *Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens.* Admiror Dei ſententiam ex ore Ieremiæ: *Seminauerunt triticum & ſpinas meſſuerunt.* Paradoxum hoc ſonat: ſeminare triticum, & ſpinas metere, an de tali ſemine talis fructus? maledicta ſit oportet tellus iſta, quæ talem producit fructum, in prædicatoribus veritatis teſte Vatablo, hoc impletur: quid eſt veritas niſi purum & ſubſtantiale triticum de cœlo deſcendens, ſemen diuinum.

Gal.4:16
Hier.12.13.

Luc.8.5.

Huius primarius ſeminator Chriſtus fuit: *Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum* Eius ſemen veritas eſt, ſicut diaboli mendacium; conſidera prophetas quàm ſedulò triticum ſeminarunt, & prolocuti ſunt veritatem: quid autem meſſuere? ſpinas, tribulationes, moleſtias perſecutiones, & mortem, puram ſeminat Ieremias veritatem principi prædicans Phaſſur, & metit alapam; in pectore ſeminat illam ſacerdotum aitque illis: Deum offendiſtis: & illum morte condemnant. Venit alter propheta atque in pectore Ieroboam ſeminat veritatem ex Dei nomine propoſitam, quâ ſcelerum illi ſuorum exponit grauitatem, & ilico manum inijcit illi violentam conaturque ignibus eum inijcere. Redundant his ſacræ litteræ; verumtamen in ipſo Principe veritatis & diuino ſeminatore perpendendum, qui deſcendit ſeminare ſemen ſuum: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Sed vide, quæ fuerit meſsis illius: ſpinæ, claui, lancea, Crux, flagella, blaſphemiæ, rabies, perſecutio & mors tandem ignominioſa. Quid Chriſto vitam ademit? quid eum crucifixit? ipſa veritas: *Me odit: quia teſtimonium ei perhibeo, quod opera eius mala ſunt.*

Hier.20.
Hier.26.

Io.18.37.

☞ 51
IX. Conſideratio ſingularis & notatu digna.

Perplacet mihi auctoris moderni conſideratio, quâ dicit ſe hoc vnicũ admirari: quot ſunt in mundo peccatores? numquam mundus malignior, quam nunc, ſtultior, impudentior, auarior, inhoneſtior, arrogantior &c. nunquã magnates magis incõpoſiti, nunquam nobiles infamiores, nunquã diuites crudeliores, mercatores fallaciores, Eccleſiaſtici magis vagabundi, mulieres liberiores, puellæ inuerecundiores, filij inobedientioris, Patres ſocordiores, Dñi intolerabiliores, ſerui infideliores, & homines minus patientes, & ad reprehenſiones minus pacifici: ſunt etenim velut corpus inflatum, flegmaticum, podagricum: qualibet enim parte illud tetigeris, in cœlum vociferatur. Porro videamus an ſint medici? an medicamina? an Eus. *Nũquid reſina nõ eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi?* nunquã plures Prædicatores, Confeſſarij, Patres ſpirituales ad ſingulos angulos centeni & centeni: & cuius generis? nunquam pluris habiti, lautiùs excepti, & viſitati frequẽtiùs; nũquã à condita Eccleſia tantum in ea negotium, tanta filiorũ & filiarum Spiritualiũ negotiatio, ô quãta congregatio illorũ cõponitur, quantus tumultus, qualis tractatio, & omnes ſibi dicunt ſatisfactum. Quid eſt hoc Domine? quod non coarctent veritate, nec ſicut vuas, comprimant; nam vt diximus die Dominico, manent integræ & illæſæ: quàm integer tu multis annis in tuo concubinatu & luxuria perſeueras? quàm redũdant arcæ tuæ, & bonis crepant alienis, nec agitur de male partis reſtituendis? quàm illeſus, cui nec ſemel cor premitur vt cordis exprimatur odium crebrò ſibi cum ſuis complacet filijs cõfeſſarius, inter quos accedit meretrix honoraria, ſcriba prædo, Iudex pomis aureis petitus, mercator vſurarius, diues crudelis, domina liberior, & tandẽ omnes à quibus abſoluantur inueniunt. Quid eſt hoc? qualiter ex officio prędicationis exiuiſti? qualiter ex munere confeſſionis? alacer? ſaluus? mundus? vuas demiſiſti integras. O Chriſte, diuina lux, Magiſter Prędicatorum, quid te detinet in Galilæa à Iudæa extorrem, vt ne in publicum prodire pręſumas? odium, quo me perſequuntur & necem inferre machinãtur: qua de cauſa quæſo Domine? *quia teſtimonium illi perhibeo, quod opera eius mala ſunt.* Vos autẽ (inquit) non eſt cur abominetur: *Non poteſt mundus odiſſe vos*: quia nõ facitis id, quod ego: vnde vos non odit ſed diligit mũdus.

Hie.8.22

Rem notatu dignam in SS. litteris refert Sp. S. de ſummo illo ſacerdote Heli iuxta lectionẽ quam ſequitur & exponit D. Hier. erat hic ſenectute prægrauis, cuius oculi tanto humore abundabant, & caligine, vt lampadẽ ſanctuarij, priuſ-

In li. 1. Reg. Tom.3.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

X. Allegoria de Heli. 1. Reg. 3. 2

priuſquã extingueretur, nõ valeret intueri: *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernã Dei antequã extingueretur*: expende modũ loquendi; non poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur, an non aptiùs, clariùs & breuiùs diceret: non poterat videre lucernã Dei ardentem? minime: voluit enim declarare quod caliginoſi illi oculi lampadẽ non exhorrerent, niſi ardentem & lucem emittentem, quã omnia circumquaque illuminabat: ſed dum extingueretur, & ipſis oculis conueniret vt nullam illis pœnam adferret & cruciatum. Caligant mũdanorum oculi paſſionibus & proprijs affectibus obtenebrati: quocirca lucerna eos offendens, ea eſt quæ claram diffundit lucem, & ſuas vnicuique reuelat iniquitates, eo modo (loquitur Chriſtus) quia lucerna ſum luce fulgens clariſſima, quã cunctas mundi detego peruerſitates, eius me oculi perferre nõ poſſunt: *Me odit quia teſtimonium ei perhibeo, quod opera eius mala ſunt*, quod ſi lux hæc extingueretur, nec illis ego manifeſtè aperirem eorum iniquitates, gratis me oculis intuerẽtur, idcirco vos accepti eritis, nec vos mundus execrabitur, vtpote lampades extinctas: *Non poteſt mundus odiſſe vos &c.*

§ 19. *Aſcendit Chriſtus ad feſtum abſcondite; & eo modo quandoque ad tuam ingreditur animam.*

☞ 52 V*Os aſcendite ad diem feſtũ hunc: ego autẽ non aſcendam ad diem feſtum iſtum: quia tempus meum nondum impletum eſt.* Grauem inuoluunt hæc verba difficultatem, in eo quod Dominus dicit: *Non aſcendã ad diẽ feſtũ hunc*: quandoquidem addat Euangel. *Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit*,

I. Christus contra Porphyriũ defẽditur. D. HIER. Lib. 2. con. Pelag. p. 217. Tom. 2.

Optimã hanc eẽ fuit occaſionẽ (inquit D. Hie.) inimicus Chriſti canis Prophyrius vt contra Chriſtũ latraret, dicendo, quòd ignorans eſſet eius, quod ſibi faciendũ incumbebat: cum agat illud, quod prius dixit ſe non acturũ, vel mutabilis, & varius in ſuis reſolutionibus, vel fallax deceptor: quandoquidẽ vnũ dicendo parentibus ſuis, faciat aliud: *Latrat Porphyrius & Chriſtum inconſtantiæ ac mutationis accuſat*, dubium hoc ita graue quibuſdam viſum eſt Catholicis, vt quatenus ſe illo expedirent, ex textu verba illa eraſerint: *Ego autẽ non aſcendam ad diẽ feſtum iſtum*, Sed neceſſe non eſt ad id confugere: cum multifariã SS. Patres hæc verba interpretẽtur,

II. Qua ratione

nonnulli credunt, quòd, Domino dicente: *Non aſcendam ad diem feſtum iſtum*, de primo feſti die ſit intelligendum, eoq; ſolemniſſimo, atq; ea de cauſa dixerit: *Non aſcendam ad diem feſtum iſtum*, quod re ipſa impleuit: quia prætendunt quod non aſcenderit primo die ſolemnitatis, ſed ſecundo vel tertio, quod ipſe Euan. videtur innuere, dum addit: *Iam die feſto mediante.* (id eſt quarto die, nã per octiduum celebrabatur:) *Aſcendit Ieſus in templum & docebat.* Ita declarauit Eucherius auctor grauis & antiquus. Multis non placet hæc ſolutio: quia Euang. teſtatur quod aſcenderit immediatè poſt parentes ſuos, nec credẽdum eſt, quòd Dominus deeſſe voluiſſet celebritati adeo feſtiuæ in honorẽ Patris ſui inſtitutæ. Communis autem hæc eſt expoſitio: q. d. vos aſcẽdite manifeſtè & eò modô, quô moris eſt ad feſtum concurrite: nihil enim eſt quòd timeatis, nec quidquam mali ſuſpicemini: cum nullus in mundo ſit, qui vos perſequatur aut aduerſetur; cum nec vos mundo ſitis aduerſarij. Ego non aſcendam illô modô: cum enim mihi non modicùm indignentur: quid aliud agerẽ, quàm eorum in me bilem acriùs excitare, vt mihi necem inferre molirentur, cuius nondum hora aduenit: *Tempus meum nondum impletum eſt.*

Christus hic ſibi non contradicat.

Lib. qq. in Ioan.

Fũdatur hæc expoſitio in eo, quod ſignat Iſa. modum exprimens quo Iudæi aſcendebant Ieruſalẽ Paſcha celebraturi. Ad litteram loquitur Propheta in illo ſẽſu ex opinione D. Hier. *a*. & D. Cyr. *b* & D. Thomæ. *c*. populũ demulcẽs ob labores quos patiebatur, imo & paſſurus erat ex oppreſſione Aſſyriorũ & Babyl. ſibiq; cuncti perſuaderent, illis eſſe condignum ſuorum ſcelerũ ſupplicium; quod ſi vero ad meliorem vitæ frugem reſipiſcerent, patienter aduerſa tolerando, & diuinæ dona miſericordiæ expectando à Deo promiſſa, ipſe ſe vadem pro illis ſtatueret quod eos ab illis Deus eriperet inimicis, quos tam illuſtri ſuperarent triumpho, vt prægrandi poſſent gaudere lætitia: *Canticum erit nobis, ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis & lætitiæ cordis ſicut qui pergit cum tibia vt intret in montem Domini, ad fortem Iſrael.* Duas notat hic (interprete D. Hieronym.) occaſiones in quibus Iudæi feſtiuò ſe gaudiô recreabant in tympanis, cytharis, ſiſtris & nablis. Prima fuit in illa nocte quã egreſſi ſunt de Ægypto: dum enim illos inſequitur Pharao per mare rubrum, in eum Dominus conſurgit totumque cum eo maris fluctibus præfocat exercitum: hæc.

a Lib. 10. in c. 30. Tom. 5. b Lib. 3. in c. 30. Iſai. c In c. 30. Iſai.

Iſai. 30. 29.

III. Quo gaudio Iudæi feſta ſua celebrarent, & quænam,

tunc

tunc etenim, quando ſe tantis gaudent ereptos inimicis, omnigenis muſices inſtrumentis immenſâ perfuſi lætitiâ hoc Domino canticum dedicarunt: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus eſt*; noctem illam appellat: *Sāctificatæ ſolemnitatis*: eo quod ceremoniâ illa ſolēni inciperet, illuſtri ſcilicet ſacrificio agni, quo ſolēnitatis feſti Paſchatis celebrabāt exordium, quę quotannis in populo illo celebrabatur.

Secunda, quando aſcendebant de regionibus ſuis in Ieruſalē tria illa ſolemnia Paſchata ſeu feſta celebraturi ſingulis annis recurrentia: nā conueniebant in vnū ſingulæ familiæ ſibi conſanguineæ, & colludentes in tympanis, fiſtulis, nablis aliiſq́ inſtrumentis aſcendebant in templū, quod dicebant: *Montē ſanctū Domini*. Eodē modo (ſi Hier. credimus) multi infra annū aſcēdebant vota ſua completuri, & hoſtias immolaturi. Tale futurum eſt (inquit Propheta) gaudiū veſtrum ſuperatis iam Aſſyrijs. *Vt imitemini eos* (ait D. Hier.) *qui ad templū primitiua portātes & in Dei torcularia deferentes munera pergunt cū tibyjs, chordis, gaudia carmine demonſtrātes.*

53 Hoc ſuis Chriſtus inſinuat parentibus, vos ipſi aſcendite cum ſignis lætitiæ & ſecuritatis, quibus aſcendere ſoletis ad feſti celebrationē, nihil mali formidantes: cū nō habeatis, qui vobis ſit aut indignatus aut aduerſarius; ego vero nequaquā iſto aſcendam modo: rabiem enim & furorem prouocarē eorum, qui meo ſanguini inſidiantur. Nihilominus *Cum autem aſcenderent fratres eius, tunc & ipſe aſcendit, quaſi in occulto*: & non palam omnibus, vt diuina ſapiētia, ſatisfaciens Deo, nimirum feſta illius recolēs, quibus eū glorificaret, & hominibus nō illis apertè ſe manifeſtās, ne furorem eorū bilemq; commoueret vt diximus die Martis.

IV. Chriſtus manifeſtè non aſcendit ne Iudęos irritaret.

Expendūt SS. Patres. Illud Exodi: *Nune extendēs manum meam percutiam te & populum tuum peſte, peribiſque de terra: idcirco antē poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam & narretur nomen meum in omni terra.* Notant D. Amb. D. Auguſt. & D. Thomas aliam litteram habere: *Seruaui te, ſuſcitaui te.* q. d. nunc merebaris, vt te de terra tollerē, ſed ſeruaui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, quæ in hoc conſiſtit, vt in te perferendo & expectādo magnam meam oſtendam fortitudinem; atque ad hoc mea ſunt flagella, vt ſi forte illis cæſus reſipiſcas. Dicit itaq; Moyſi. *Extende manū tuā in cœlum, vt fiat grando. Extendit que Moyſes, virgam in cœlum & Dñs dedit tonitrua & diſcurrentia fulgura ſuper terrā.* Aduertit D. Aug. & eum illo Card. Caiet. quod pro voce illa, *Tonitrua*: in Hebræo legatur: *Voces dedit Dominus voces & grandinem.* Illa tonitrua, grando, & fulgura, voces erant Dei abſconditæ, verū adeo claræ, vt cum Pharao eſſet ita peruicax, illas tamen eo modo caperet, vt hanc illi confeſsionē extorquerent: *Peccaui etiam nunc, Dominus iuſtus, ego & populus meus impij.* Quibus verbis fatetur quod etiam in præteritis peccaſſet: *Etiā nunc*: id eſt: non ſolum in hoc deliqui, ſed etiā in præteritis me fateor in Deū deliquiſſe. Hoc ſignificat: *Etiam nunc*: Hoc vnicum à te deprecor, vt pro me ſupplex intercedas: quatenus placeat vlteriori me nequaquam punire ſupplicio: ſed manum à flagellis cohibeat, quibus me perterruit: *Orate Dominū vt deſinant tonitrua Dei, & grando.* Non vult Deus dare ſigna, nec voces contra peccatorem ita manifeſtas, vt ex manifeſtatione earum denuo ſuſcitet in ſe furorem ſed abſcondite agit & latenter eo modo, vt illas & cognoſcat & intelligat peccator, illique ſeruiant, vt ad Deum ex toto corde conuertatur.

Exo 9. 15.

Apud Lipoma.

Lib. loc. in Exo. loc. 45.

Te Dñe benedicimus: quàm ſincerè & candidè demonſtras tuum erga nos amorem: cū enim tibi non expediret aſcenſus in Ieruſalem, ob mortem tibi intentatam: aſcendis tamen latenter & incognite. Sponſus tenerè ſponſam diligens, qui quia à prætorę ad necem quęritur, de ciuitate fugit, nec in eam audet intrare manifeſtè; intempeſtiuè laruatus ingreditur; etenim eò ſponſæ trahit eum amor ardentiſſimus. Ita Chriſtus: licet enim eum ab anima tua foras elimines mortéq; illi per peccata moliaris, nec nō de corde tuo profugum expuleris; non tamē omittit, quin laruatus & incognitus ſæpius ingrediatur. Quid putas hāc eſſe carnis infirmitatem, quæ te lecto proſternit dic ô fœnerator? Deus eſt: qui cū ſit ipſa ſalus; hoc morbi pallio ſe contegit ad animæ tuæ valetudinem. Quænam hæc paupertas? illam induit Deus, ipſæ cæli diuitiæ quo cor tuum ingrediatur. Quænam iſta calamitas, quis ille dolor, qui te circumcingit, niſi larua quædam, quā ſe Deus operit, & ad te accedit, qui eſt ipſa gloria, in tui beneficium? quantumlibet enim illū perſequaris, & in fugā cōpellas, nō tamē ex integro omittit ad te venire, & venit *quaſi in occulto*. hoc ſenſu licebit explicare verba pſalmog. *Poſuit tenebras latibulū ſuū* Cū Deus lux ſit, laruā aſſumit tenebrarū, quibus ſe contegat, illum tu cognoſce

V. Similitudo.

Pſ. 17. 12.

Chriſtiane, illos tu attende pulſus, quibus in occulto ad cordis tui pulſat ianuam, dum ſocordia ſtertis: illum audi, illum cognoſce: etenim Dominus eſt, aſcendit & occultus manſit vſque in quartum diem; tunc enim publicè templum aſcendit prædicaturus, in hoc ſe verum Deum oſtendens, ſicut in fugiendo ſe verum hominem eſſe deſignarat. Piiſſimæ bonitati illius placeat, animæ noſtræ templum aſcendere, nobis concionari, docere nos, atque diuinæ ſuæ gratiæ donis exornare, quibus æternæ tandem gloriæ dona conſequamur. *Amen.*

# SVMMARIVM.

## HOMILIÆ TRIGESIMÆSEPTIMÆ SEQVENTIS.

PROFVNDA comprehendit hoc Euangelium myſteria, nominatim
prædeſtinationis, & reprobationis, quod quamuis aliquam incute-
re debeat ſollicitudinem. *a.* non tamen curioſiùs debet indagari: *a* §. 1. 2. 3.
cum certum ſit, quod Deus nobis vel gloriam tribuat cœleſtem,
vel æternis damnet cruciatibus ſecundum opera noſtra, *b.* Ad illo- *b* §. 4. 5. 6.
rum ſolamen, & horum terrorem, nobis Deus in Sacris litteris ſuis
quædam reliquit indicia, ex quibus conjecturare licet, an aliquis prædeſtinatus ſit
vel reprobatus. Hæc deſcribit D. Ioannes in hoc Euangelio, nobis tres figuras pro-
ponendo: illam Chriſti noſtræ prædeſtinationis Auctoris: illam prædeſtinato-
rum ſub figura ouium Chriſti, & reprobatorum ſub perſona quorundam Iudæo-
rum, qui Chriſtum circumdederunt. Figura quâ nobis proponit Chriſtum, ea eſt:
deſcribit illum ambulantem in porticu templi, miſericordiâ plenum, peccatores
exſpectantem. *c.* & cogitationes retractantem. *d.* Prædeſtinatos oſtendit ſub figu- *c* §. 7. 8.
ra ouium Chriſti, quarum conditiones Saluator noſter exponit; reprobos autem *d* §. 9.
nobis indicat ſub eorum nomine, qui Chriſtum circumdant: habent etenim con-
trarias. Primum indicium ouium Chriſti hoc eſt, quod audiant vocem Dei, quin-
tupliciter, & nullo horum modorum illam audiunt reprobi. Primò: illam ſim-
pliciter credunt. *e.* Secundò: illi obediunt. *f.* Tertiò; ad illam accurrunt. *g.* Quar- *e* §. 10.
tò: agunt iuxta veritatem eius. *h.* Quintò: deſiderant illam audire, vt ſciant *f* §. 11.
quid ſibi ſit agendum. *i.* Secundum harum ouium indicium eſt, quod Chriſtum *g* §. 12.
ſequantur, non illum cingendo, ſed eius inſiſtendo veſtigijs, hoc oſtendendo, quod *h* §. 13.
ſint per opera ſua. Contrarium eſt præſcitorum, qui cingunt illum, & per vias in- *i* 14. 15.
cedunt oppoſitas. *k.* Tertium prædeſtinatorum ſignum eſt, quod ſicut reprobi *k* §. 16. 17
iam in hac vita patiuntur, & participes ſunt cruciatuum infernalium. *l.* ita in il- *l* §. 18. 19.
lam participationem quandam gaudij vitæ æternæ communicant. *m.* Quartum 20. 21. 22.
prædeſtinatorum indicium eſt, quod non pro ſemper pereant, pertinaces in pecca- *m* §. 23.
to, ſi in hoc lapſi fuerint, ſicut reproborum in ſua perditione. *n.* Quintum illorum 24. 25. 26.
indicium eſt quod firmi ſint in manu Dei ſic vt illos inde diabolus non eripiat, vt *n* §. 27.
horum eſt, quod ab illo ſe rapi patiantur. *o.* Tandem exponit Dominus qua ratio- *o* §. 28. 29.
ne poſſit hæc admiranda in prædeſtinatis ſuis operari declarans quòd verus ſit Deus
æterno æqualis Patri. *p.* *p.* §. 30.

§. 1. *Sollicitè viuere debemus, vtrum prædeſtinati ſumus: horum numerus eſt determinatus & ſignatus, ſicut piſcium in ſecunda D. Petri piſcatione.*

§. 2. Ita

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN